

Johannes Crocius    Aaron Crusemannus

**Disputatio Theologica Prima De Orthodoxae Fidei Delectu; Qua Infallibile Verae Fidei A Falsis religionibus Christi nomen ementitis discernendae criterium asseritur, & Adversariorum, impimis Pontificiorum notae examinantur**


Marpurgi Cattorum: Hutwelckerus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746346336>

Druck    Freier  Zugang









95

52<sup>b</sup>.6.



Ja 1092 (95)



Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preceptiva Academiae Genesie cum eo  
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inaugurales Academiae Ludovicensis Patavoru.  
Anno 1620.
4. Polyvardi. Walai.
5. Thysii.
6. Hommi.
7. Sinapij.
8. Ravi Panegyria Orientalibus linguis Trajecti d. Na. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinibus Liberi Arbitrii ep. II. loc. III, 4. s. 1645.
15. Samhaueri Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capitis Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribus testibus in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 4.  
5. 2.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 24. 38.  
9. 24. 39.  
10. 2.  
11. 2.  
12. 2.  
13. 2.  
14. 2.  
15. 2.  
16. 2.  
17. 2.  
18. 2.  
19. 2.  
20. 2.  
21. 2.  
22. 2.  
23. 2.



24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.  
 25. D. Hamelkenig de Persona Christi. 1645.  
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.  
 27. ———. Pars II. ———  
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.  
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. S. conformitas.  
 30. ———. De Apostolici nominis causis.  
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vrang. Doctrina.  
 32. ———. De Catholicismo Eccl. Evangelicae.  
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelicae.  
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.  
 35. ———. De Analogia seu proportione.  
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.  
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.  
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.  
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.  
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.  
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.  
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.  
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina  
 44. ———. ~~Compensationem pro peccatis~~  
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificiorum in cultu Iuriani.  
 46. ———. ~~Itie~~ Stempfort. 1608.  
 47. ———. De Idolatria eorum in cultu sanctorum  
 48. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum



49. P. Petri Roeftii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.


1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 4.  
12. 4.  
13. 4.  
14. 4.  
15. 4.  
16. 4.  
17. 4.  
18. 4.  
19. 4.  
20. 4.  
21. 4.  
22. 4.  
23. 4.  
24. 4.  
25. 4.  
26. 4.  
27. 4.  
28. 4.  
29. 4.  
30. 4.  
31. 4.  
32. 4.  
33. 4.  
34. 4.  
35. 4.  
36. 4.  
37. 4.  
38. 4.  
39. 4.  
40. 4.  
41. 4.  
42. 4.  
43. 4.  
44. 4.  
45. 4.  
46. 4.  
47. 4.  
48. 4.  
49. 4.  
50. 4.



a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	



28. 3  
26  
4  
2  
38  
39  
42  
43  
44  
45



DISPUTATIO THEOLOGICA

PRIMA

DE ORTHODOXÆ FID  
DEI DELECTU;

Quâ

INFALLIBILE VERÆ FIDEI A FALSIS  
religionibus Christi nomen e mentitis discernendæ  
criterium asseritur, & Adversariorum, imprimis  
Pontificiorum notæ examinan-

tur;

CUM DEO,

*Præside*

IOHANNE CROCIO, S. S.

THEOLOGIÆ DOCTORE ET IN IL-

lustri Marpurgensi Academia Professore

ordinario,

*Respondente*

M. AARONE CRUSEMANNO, BROMS-  
kirchenſi Haſſo.

*Ad placidam & piam conſuetudinem propoſita*

Ad diem 6. Martii;

Loco horisq; ſolitis.

Marpurgi Cattorum,

Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,

Anno MDCXIX.





Reverendissimis, Illustrissimis ac Serenissimis  
Principibus ac Dominis,

DN. WILHELMO EXEMPTÆ ECCLESIAE  
Hersfeldensis Postulato Administratori.

DN. PHILIPPO Illustrissimi ac Potentissimi Principis  
ac Domini, DNI. MAURITII Hassiæ Landgravii, comitis in  
Catzenelbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda, &c. Domini sui  
clementiss. heroicæ indolis filii, Dn. suis clementissimis

dedicat subjectissimus  
Cliens

M. Aaron Gruseman Bromskirchenfis  
Hassus.





DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
ORTHODOXÆ FIDEI  
DELECTU.

THESIS PRIMA.

**N**on omnibus gentibus post miserabilem protoplastorum lapsum, quo hominis natura ad salutarem Dei cultum penitus inepta evasit, ali- quod religionis semen reliquum fuit. Hinc apud omnes cultum numini sacrum videas, & quidem magno cum zelo peractum. Quamvis in *objecto*, in *modo*, in *sine*, variè ac cum salutis intertrimento sit exerratum.

II.

Qui hodie religione discernuntur, partim Christi nomen usurpant, partim aperte respuunt. Et horum rursus quidam novam planè & diversam fidei regulam sequuntur, quo Muhammedanos aliosque gentiles referimus, quibus sacræ scripturæ nomen est execrabile: alii partem nostri canonis recipiunt, quales sunt Judæi, qui veteris testamenti auctoritatem ingravi sua cæcitate etiamnum reverentur, solis Novi Testamēti scripturis rejectis.

III.

Sub Christi nomine omni tempore multi hæretici venena sua mundo propinarunt: quos hodie sequuntur Photiniani,  
A 2 Ana-



Anabaptistæ, Schvenckfeldiani; Inter omnes eminent Papistæ. Quibus ut & cæteris Evangelicæ per Europam Ecclesiæ fidem suam opponunt. Unde penes quam partem vera fides sit gravissimè controvertitur. IV.

Cum Muhammedanis & Judæis jam nobis res non erit: Quamvis contra eos pro nobis etiam num pugnet fidei nostræ intemerata sanctitas, stupenda efficacia, ingentia, quibus sub initium confirmata est, miracula, deniq; mirabilis & hominum opinionem longè exsuperans propagandi modus; Ne de constantia; ne de Martyrum myriadibus, qui suo sanguine veritatem obsignârunt, verba faciam.

V.

De cœtibus Christi nomen professis agere apud animum nostrum constituimus. Omnium autem primò de infallibili veræ religionis seu fidei criterio erit differendum; deinde illud fidei, quam Evangelicæ per Europam Ecclesiæ profitentur, competere, ostendendum. Denique colores, quibus Romanæ Synagogæ fides piæta mundo speciosè proponitur, erunt dispungendi. De singulis agemus singulis disputationibus: ut autem veritatem piè quæramus, quæsitam inveniamus, inventam solidarum rationum momentis confirmemus, ac teneamus, faxit veritas prima J E H O V A DEUS benedictus in secula, per veritatis Spiritum, propter Christum Jesum, qui est via, veritas, & vita. Amen.

---

SECTIO PRIMA.

L

**V**OX FIDEI in sacra scriptura & communi usu varias significationes sustinet: aliquando significat fidem historicam, seu notitiam veritatis in sacris commentariis expressæ Jacob. 2. 24. aliàs fiduciam miraculorum. I. Corinth. 13; aliàs integrit-



tegritatem & fidelitatem Rom. 3. 3. aliàs fiduciam in misericordia DEI & unico Christi merito recumbentē, quæ dicitur fides justificans. Ro. 3. aliàs deniq; doctrinam de fide; quo sensu quosdam à fide aberrasse. 1. ad Tim. 4. 10. quosdam etiam postremis temporibus à fide defecturos & doctrinis dæmoniorum adhe-  
suros esse 1. Tim. 4. 1. Sanctus Apostolus refert. Hoc significatu in hac dissertatione de fide agimus.

II.

Veræ doctrinæ confirmatio duobus modis intelligi potest: vel respectu nostri; vel aliorum. Non enim omnia quæ nos de fidei nostræ veritate convincunt, aliis quoque satis facere putandum est; Idque quia de interno Spiritus Sancti mentes convincentis testimonio aliis non constat: Nemo enim scit quid sit in homine, nisi Spiritus ejus. 1. Cor. 2. Et si igitur conscientia nostra & in ea Spiritus Sanctus testetur, fidem, quam tenemus, esse veram, eo tamen medio alios, ut palmam veritati præbeant, non necessariò adducimus. Nec de hac confirmatione impræsentiarum sermo instituitur; sed potiùs de altera, quæ spectat simul nos & alios.

III.

Cùm infallibile criterium quærimus, id à nobis intelligi patet, unde de veritate infallibile judiciù nascitur. Et eo nomine secludimus argumēta minùs principalia, quæ solùm probabilitatem gignunt, quia ut ut veræ fidei conjuncta sint, tamen aut non necessariò ei competunt, aut non semper, aut non soli: proinde non in prælio sunt urgendæ, etsi in victoria possunt usurpari.

IV.

Quodnam verò sit primarium veræ fidei demonstrandæ argumentum, quodnam infallibile & ἀξιόπιστον κριτήριον, de eo multum, diuque est controversum. De quo ut perspicuè & methodice agamus, totam tractationem duabus sectionibus absolvemus. PRIMA infallibile veræ fidei criterium in aprico

A 3

collo-



collocabimus. SE CUNDA quid de notis à gente adversaria allatis sit sentiendum, καὶ δὲ ναμιν declarabimus.

V.

Statuimus autem unicam indubitata[m] & infallibilē veræ fidei notam & τεκμήριον esse ejusdem conformitatem cum sacra scriptura. Adeò, ut quicquid cum ea consentit, tutò recipi possit, reiici autem, quicquid ab ea discrepat. Quam sententiam, ut solidè probemus, argumenta in quatuor classes distributa ordine subiiciemus.

VI.

Prima classis scripturæ habet testimonia & quidem triplia: Prima enim DEUS tanquam prima veritas nos in religionis negotio solùm ad sacram scripturam alligavit. Deut. 12. 32. Deut. 17. 10. Josu. 1. 7. Malach. 2. 7. Joh. 5. 39. 1. Timot. 4. 16. Gal. 6. 16. Philip. 3. ver. 16. His, inquam, dictis DEUS, Reges, Judices, Sacerdotes, verbi ministros, omnes in fidei causa ad sacrum codicem unicè alligavit. *Hinc arguo.* Ad quod DEUS in religionis puncto homines unicè obligatos vult, inde vera fides à falsa tutissimè discernitur. At qui DEUS in religionis puncto homines ad sacram scripturam unicè vult obligatos. Ergò.

VII.

Minor nititur claris scripturæ textibus. De majore nemo dubitare potest, qui DEUM nolle credit, ut homines hinc inde jactati fluctuent, & fallaci veritatis regula miserè deludantur: Id quod velle à Sanctissimo DEO est alienissimum.

VIII.

Hoc expenderunt sanctissimi Reges & judices in veteri testamento. David enim sacrificia vult peragi juxta legem scriptam. 1. Par. 6. 20. & in omnibus verbo DEI tanquam regula usus est, unde ait Psalm. 119. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux in itinere meo.* Unde Josaphat veram religionem & cultum DEI ab idolomania discrevit? juxta quam regulam illi-



Illius restitutionem, hujus autem abolitionem est meditatus? juxta scripturam. 2. Paralip. 17. 9. Quò in reformatione respexit Ezechias? quò Zorobabel, Nehemias, & Esdras? ad scripturam. 2. Paralip. 29. 1. Esdræ 3. 2. & 8. 5.

IX.

Hinc ipse Servator veritatem ab errore discriminavit contra Pharisaeos agens Matth. 22. Cujus vestigia Apostoli, aliique Christiani fideliter premenda esse censuerunt. Imprimis luculentum est Apostoli Pauli exemplum, qui se ab erroribus alienum veritatem docere probaturus non ad miracula, aut alia media, sed ad Moſen & Prophetas provocat. Acto. 24. 14. 26. 22. Et Beroënſes doctrinam Pauli exploraturi, quotidie in scripturis inquirebant, num hæc ita se haberent. Actor. 17. 11.

X.

Ex hoc secundo testimoniorum genere tale exurgit argumentum: Quo Sanctissimi Reges, Judices in V. T. in instituendo Dei cultu unice respexerunt, unde Christus ipse & post eum Apostoli ac cæteri Christiani verum à falso discreverunt, ejus conformitas veræ fidei indubitata est nota, quâ ab errore dignoscitur. At Sanctissimi Reges & Judices V. T. in instituendo Dei cultu ad S. Scripturam unice respexerunt, Christus, Apostoli, ac cæteri Christiani in N. T. inde verum à falso discreverunt: Ergò conformitas cum scriptura est indubitata & sufficientissima veræ fidei nota.

XI.

Quid? quòd omnes qui scripturam neglexerunt, ruerunt in gravissimos errores, quo nomine divinitus reprehenduntur. Solos Sadducæos jam allegamus. Quibus Christus ait; *Erratis nescientes scripturas* Matth. 22. quibus verbis erroris causam esse scripturarum neglectum apertissime confirmat. Unde Chryſostomus quoq; homil. 9. in epist. ad Colos *τὸ πᾶν τῶν ἀπορῶν, τὸ μὴ εἶδέναι τὰς γραφάς.* Hinc arguo; cujus neglectu & igno-  
ratione



ratione Sadducæi veris falsa remiscuerunt, ex eius conformitate vera fides à falsa infallibiliter discernitur. At Sadducæi neglectu & ignoratione scripturæ veris falsa remiscuerunt. E. ex scripturæ conformitate vera fides à falsa infallibiliter discernitur.

XII.

Huc etiam pertinet, quod gentium doctor ad Galatas scribit cap. i. ver. 8. *Sed etiam si nos, aut angelus è cælo evangelizet vobis præterquam quod vobis evangelizavimus, anathema esto.* Ubi prohibet cuiquam credere, qui doctrinam ab Evangelio diversam attulerit, afferentem autem anathemate ferit. Quis verò hinc non agnoscat conformitatem cum Evangelio indubitam esse verè fidei notam? Discrepantia enim, teste Apostolo, ab Evangelio est falsitatis index; Ergò convenientia cum Evangelio, vi oppositorum, est index veritatis.

XIII.

Nec est ut excipiant: Apostolum non agere de scriptura sed doctrina vivâ voce tradita: Sanctus enim Augustinus ad Scripturam referendum esse, constanter affirmat libr. 3. contra literas Periliani cap. 6. *Siquis, inquit, sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacungq; alia re, que pertinet ad fidem, vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus è cælo vobis evangelizaverit: præterquam quod in Scripturis legalibus. & Evangelicis accepistis anathema sit.* Vide etiam Basilium Moral. sum. 72. cap. 1. Nec differt Evangelium, scriptum à prædicato, cum Spiritus Sanctus, qui per Apostolos & locutus est & scripsit, sibi non sit contrarius.

XIII.

Altera argumentorum classis rationes cõplectitur. Emul-tis autè paucas huc accersimus. i. In quod fides nostra ultimò resolvitur, eo verum dogma à falso infallibiliter & sufficienter discernitur. At in scripturam sacram fides nostra ultimò resolvitur. Idque quia DEI verbum comprehendit, in quo fides nostra unicè & quidem securè conquiescit. Ergò. In-



XV.

2. In quo solo veritatis auctor ordinariè loquitur, ex eius conformitate vera fides à falsa infallibiliter dignoscitur. At veritatis auctor in sola scriptura ordinariè loquitur. Ergò ex scripturæ conformitate vera fides à falsa infallibiliter dignoscitur. Majoris veritas inde constat, quòd eodem autore sit discernenda veritas à falsitate, quo discitur, putà Spiritu Sancto. Is enim est Spiritus veritatis Joh. 16. Minor est manifesta, & conceditur ab Antonino 3. par. tit. 18. c. 3.

XVI.

3. Cujus in rebus divinis summa est auctoritas, ex eius conformitate fidei veræ à falsa infallibile discrimen rectè petitur. At in rebus divinis sacræ S. summa est auctoritas. Est enim testimonium DEI, quo majus dari non potest. Ex 1. Joha. 5. 9. Hinc Petrus *ἄροφικὸν λόγον βεβαιότερον* nominat. 2. ep. 1. 19. Ergò ex sacræ scripturæ conformitate fidei veræ à falsa infallibile discrimen rectè petitur.

XVII.

4. Nihil extra scripturam est certum & infallibile. Fuerit ergò conformitas cum scriptura veræ fidei infallibilis nota, aut nulla fuerit. Antecedens stat immotum, donec sive Pontificii, sive Enthusiastæ, sive alii quicquam extra hunc sacratissimum codicem afferant, quod infallibilitatis laudem sibi jure vendicet. Incertæ sunt revelationes, quibus se commendant imperitæ plebi Enthusiastæ: dubia sunt miracula, quibus mirabilitati olim se ostentabant. Quid de Pontificiorum notis sit statuendum, infra patebit. Pulchrè Theophilus Alexandrinus in 2. Paschali. *Diabolici, inquit, Spiritus est, extra Scripturarum sacrarum auctoritatem divinum aliquid putare.*

XVIII.

5. Si conformitas cum scriptura non est infallibilis veræ fidei nota, quâ à falsa discriminatur, id fuerit scripturæ vel ob-

B

scuritati



scuritati, vel imperfectioni adscribendum. At nec obscuritati nec imperfectioni adscribi potest. Ergò. Consequentia est firma, donec aliam causam adversarii allegent. Antecedens probatur: quia sacra scriptura in iis quæ ad salutem omnibus cognitu sunt necessaria, & ad pietatem pertinent, est perspicua. 2. Cor. 4. 3. 4. Unde vocatur *λύχνος* & *Φαίνων* ἐν ἀνυχμῆρᾰ τόπω 2. Pet. 1. 19. lucerna pedum & lumen in itinere. Ps. 119. 105. Nec potest sine impietatis crimine imperfectionis argui, cum DEUS ei nihil addi, nihil demi velit. Deut. 4. 2. & 12. 32.

XIX.

6. Si conformitas cum scriptura non est infallibilis veræ fidei nota, in qua hominis mens tutò conquiescat, quæ & quanta sequentur absurda? 1. alio auctore discenda erit veritas, alio à falsitate discriminanda 2. Spiritus Sancti testimoniū insufficientis erit ad fidem in veritate stabiliendam. 3. scriptura accusabitur incertitudinis & imperfectionis. 4. cōvelletur miseris modis divina ejus auctoritas. 5. tolletur omnis religionis certitudo 6. Quibusvis fanaticis falsa pro veris suggerēdi, bipatentes fores aperiētur. 7. Deniq; conscientia hominis in magno dogmatum diversorum pelago incerta fluctuabit, cum extra DEI verbum nihil inveniatur, quod sibi satis faciat. Quæ omnia ut piè & prudēter evitemus, ad scripturæ conformitatem tanquam certum veritatis indicem in conniventibus oculis & toto animo respiciendum esse etiamnum arbitramur.

XX.

In tertia argumentorum classe Antiquitatis testimonia reponimus, non quod in iis fidem nostram fundemus, sed ne nova quæ perpetua est adversariorum calumnia, Ecclesiæ nostræ Christiano orbi videantur obtrudere. Ea verò magno consensu testatur, non nisi ex sacro Prophetarum & Apostolorum codice verum à falso discernendum esse: idque tam in Græca, quam in Latina Ecclesia.

Im-



## XXI.

Imprimis memorabilis est Constan. Magni Imp. in synodo Nicena prolata sententia apud Theodoret. li. i. cap. 7. *Evangelici, inquit & Apostolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula planè instruunt nos, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili poset à discordiâ, ex verbis divinitus inspiratis sumamus questionum explicationes. Cui accedunt præstantissimi Patres.*

Basiliius epistol. octuagesima. *Non putamus æquum esse, ut quæ apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur recta doctrina. Si enim ad probandam rectam doctrinam valet consuetudo, licet & nobis omninò hæc in re illos imitari. Stemus itaque arbitrati inspirata à DEO scripture, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omninò veritas adiudicetur sententiæ. Et in summa moral. 72. Oportet auditores, qui sunt periti scripturarum examinare ea, quæ traduntur à Magistris, & quæ οἱ μὲν φωνὰ γρηγοῦσιν sunt, recipere; ἀλλὰ τῶν ἄλλων verò reycere. Idem lib. 9 contra Eunom. vocat scripturam canonem recti & normam veritatis.*

Chrysostomus homil. 13. in Genes. *Scriptura, cum tale quiddam nos docere vult, se ipsam exponit, & auditorem errare non sinit. Oro igitur & obsecro, ut omnibus illis præclusis auribus, ad amissim canonem scripture sacra sequamur.*

At hanc usque libro contra gentes, scripture sufficiunt, ad omnem veritatis instructionem sive institutionem.

Origenes in cap. 16. ad Rom. lib. 10. Vide quam proximi periculis fiant hi, qui exerceri in divinis literis negligunt, ex quibus solis huiusmodi examinationis agnoscenda discretio est.

Cyrillus libro de fide ad reginas: *Necessarium nobis est sequi divinas literas, & in nullare discedere ab earum præscripto.*

## XXII.

*Tertullianus lib. de resurrectione carnis: Ausfer hereticis, quæ*

B 2

cum



*cum Ethnicis sapiunt, ut de solis scripturis quaestiones suas sistant, & stare non possunt.*

*Ambrosius libro I. ad Gratianum de fide cap. 4. Nolo argumento credas (Sancte Imperator) & nostra disputationi: scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum.*

*Augustinus lib. de natura & grat. cap. 61. Ego solis canonicis scripturis debeo sine recusatione consensum. Epi. 112. Si divinarum scripturarum, earum sc. quae canonicè in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur autoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Alijs verò testibus, vel testimonijs, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere, vel non credere, liceat, quantum eam menti ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpederis.*

*Idem in 2. tractat. in epist. Johan. DEUS contra insidiosos errores voluit ponere fundamentum in scripturis, contra quas nullus audeat loqui, qui quoquo modo se vult videri Christianum.*

*Hieronymus in cap. 23. Matth. Quod de scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

XXIII

*Quarta argumentorum classis nobis repræsentat. adversariorum hypothèses & confessionem. Bellarmini est ista hypothesis libr. I. de V. D. cap. 2. Sacra scriptura est regula credendi certissima, tutissimaque. Hinc concludo. Quicquid est certissima tutissimaque credendi regula, eo vera fides à falsâ tutissimè dignoscitur. At secundum Bellarminum, sacra scriptura est certissima, tutissimaque credendi regula. Ergò.*

XXIV.

*Jesuita Mulhusinus & alii concedunt fidem nostram in hoc principium ultimò resolvi, DEUS DIXIT. Antoninus autem 3 part. tit. 18 cap. 3. hæc habet: Materia congrua prædicationis est sacra scriptura. Semel n. loquitur DEUS, loquitur autem DEUS in scriptura sacra, & ita copiosè, ut Gregor. exponit 22.*

*marab.*



moral. quod non oportet DEUM iterum loqui aliquid nobis necessarium, cum ibi omnia habeantur. Hinc arguo: Id quod continet primum credendi principium, in quod fides resolvitur, eo vera doctrina à falsa tutissimè dignoscitur. At scriptura sacra continet principium credendi summum, in quod fides ultimò resolvitur. Ergò ex scriptura sacra tutissimè vera doctrina à falsa dignoscitur. Majorem firmat Mulhusini concessa hypothesis. Minorem Antonini sententia.

XXV.

Scotus in prologo in Lombardum ait, *scripturas sufficienter continere doctrinam viatori necessariam*. Et hoc sensu Thomas de Aquino com in 2. Timoth. cap. 3 tradit, *scripturas facere hominem DEI perfectum*. Bellarminus lib. 4. de verbo DEI. cap. 11. fatetur, *omnia scripta esse ab Apostolis, que sunt omnibus necessaria*. Ambrosius Catharinus com in 2. Timoth. 3. scribit, *scripturas præstanti fidem se Faciles præbere, quantum fas est & familiares ad cognitionem sui*. Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothec. annot. 151. *scripturam in duas classes distribuit, quarum alteram fatetur Apertam ac Dilucidam esse, utpote, que prima summaque rerum credendarum principia ac præcipua bene vivendi præcepta, & exempla cognitu facilia complectatur, ut sunt morales sententiæ & sacra quadam historia formandis moribus utiles*. Hinc arguo: Quod omnia ad salutem scitu necessaria complectitur, & quidem apertè ac dilucidè, id inter veram & falsam religionem tutissimè discrimen constituit. At sacra scriptura continet omnia ad salutem scitu necessaria & quidem apertè ac dilucidè. Ergò. Major est planissima. Minor verò etiam ab adversariis est jam jam concessa.

XXVI.

Sed & nonnunquam vi veritatis coacti adversarii suâ confessione sententiam nostram confirmant. Quid enim præclaris dici posset, quàm quod Faber Stapulensis in præf. in Evan-



gelia scribit? *At primitiva, inquit, Ecclesia, Nullam regulam  
Aliam (intellige præter scripturam) novit, Utinam hæc nunc ob-  
tineret!* Bellarminus lib. I. de verbo DEI, cap. 2. de loco Deut.  
17. 9. 10. 11. *Ubi, inquit, satis aperte S. Moyses controversias exortas  
in populo DEI, ex lege Domini dijudicandas docet.* De argumen-  
tis quibus adversarii nostram sententiam impugnant, in ipso  
disputationis actu, DEO volente, videbimus. Iam ad aliorum  
criteria convertimur.

---

SECTIO SECUNDA.

I.

**O**lim Manichæi, Gnostici & alii hæretici suo officio se pro-  
bè defunctos esse existimabant, si dogmata imperitæ  
plebi obtrudenda à revelationibus commendarent. Quorum  
*βδελύγματος* moderni Enthusiastæ, Anabaptistarum genus, sese  
oblectant.

II.

At enim verò I. Spiritus Sanctus hanc confirmandi ratio-  
nem jam pridem ab Ecclesia proscripsit. Deut. 13. 1. 2. 3. 4. 5. Ubi  
somnia somniant contra legem nihil credendum esse seve-  
rissimè monet.

III.

2. Cum Moysè, cum Prophetis, cum Christo, cum Apo-  
stolis, cum DEO ipso pugnant, qui spretis scripturis in revela-  
tionibus fidei fundamentum ponunt & hinc verum à falso dis-  
cerni volunt. Nusquam enim Moyses, nusquam Prophetæ,  
nusquam Christus, nusquam Apostoli ullum unquam ad Spi-  
ritus interni afflatum, neglectis scripturis, remiserunt. Quin i-  
mò Moyses ad Legem scriptam populum ablegat & obligat.  
Deut. 17. vers. 9. 10. 11. Cum Moysè Jesaias, qui cap. 8. ait: *Ad le-  
gem & testimonium*, post Jesaiam Malachias cap. 2. Ante utrū-  
que David Psal. 119. *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* DEUS  
ipse



ipse Iosua. 1. 7. ait: *Ne recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed medita veris in eo diebus ac noctibus.*

IV.

3. Apostoli verò in novo testamento & suam doctrinam ex scripturis confirmarunt. Act. 24. 14. & 26. 22. & earum auctoritatem in religionis negotio mirè commendant. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 19. Quod de Christo dicam? Ne ipse quidem ex interna revelatione doctrinam probare voluit, sed ex scripturis. Ex his enim confutat Sadducæos, ex his Pharisæos confundit. Matth. 22. quos etiam non ad internum Spiritus afflatum, sed ad scripturas remittit. Joh. 5. his verbis: *Scrutamini scripturas.*

V.

4. Privata Spiritus revelatio, quam isti tantopere jactant, est incerta & obscura. Unde enim mihi constabit hoc revelatum esse Enthusiastæ, quod in medium affert, non verò confictum? Unde constabit Spiritum lucis esse, non tenebrarum, qui cum ipso loquitur, si scripturæ judicium adimatur? Accedit, quod isti qui de revelationibus multum gloriantur, inter se variè confligant & sententiis dissideant. Quis erit inter partes iudex; si standum sit interno afflatu, non autem scripturæ decreto. Regula sanè credendi & certa & nota esse debet, unde novum nobis argumentum exurgit.

5. Scripturis Prophetis & Apostolicis nihil est notius, nihil certius, cum revelationes sint incertæ. Ex illis ergò fidei veritas probanda & ab errore quovis est discriminanda. Scripturas verò certissimas esse ac verissimas, nec humana commenta sed divina oracula continere, multis constat argumentis. Id enim testatur 1. rerum majestas. 2. admiranda omnium partium connexio & harmonia. 3. Vaticiniorum veritas eventuum probata. 4. Singularis efficacia in hominum animis. 5. summa perfectio. 6. Collatio cum cultibus extra scripturam inventis. 7. Martyrum cōstantia. 8. pœnæ veritatis hostibus irrogatæ. 9. internum Spiritus Sancti testimonium.

De-



## VI.

6 Denique si ex privatis revelationibus verum à falso discernendum in Ecclesia proponatur, omnibus certè hæresibus porta decumana aperietur, perpetua fidei incertitudo invehetur, medium Spiritus probandi certum penitus tolletur, denique paulò post merus dominabitur atheismus.

## VII.

Mirabiliarii, teste Nicephoro lib. 8. histor. Eccles. cap. 35. & lib. 14. cap. 45. præ textu miraculorum novos errores cudebāt, aut veteres innovabant: proinde miracula irrefragabile veræ doctrinæ τεκμήριον esse jactabant. A quibus parùm absunt Pontificii miraculorum donum notarum infallibilium censui inferentes. Vide Mulhusinum part. 2. disp. de fide. Bellarminum, lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 14. Costerum apol. part. 3. cap. 8.

## VIII.

Iam Christum & Apostolos veræ fidei præconium illustribus miraculis & signis cōfirmasse lubenter quidē agnoscimus, miracula verò sive illius, sive istorum decreto in Ecclesia usq; ad finem mundi pro indubitatis ab errore discernendæ veritatis argumentis, agnoscenda & urgenda esse, nusquam proditum legimus.

## IX.

Imò universa scriptura reclamat. Multi enim veram doctrinam tradiderunt sine ullo miraculo: In V. T. Jesaias, Jeremias, Jezechiel, Hoseas, Amos. Zecarias, alii: in novo Joannes Baptista Joan. 10. 41. 42. Alii à falsam doctrinam attulerunt, etsi fecerint signa, quod in Magis Ægyptiacis est videre. Exod. 7. & 8. & de gentilibus historię testantur. Id quod tūm Christus de postremi seculi Pseudoprophetis, & Pseudochristis Matt. 24. tū Paulus de Antichristo exsertè prædicat. 2. The. 2. 8. Ideò Jehova Deu. 13. hoc demonstrandi genus certà lege sustulit. *Cū surgens, inquit, in medio tui Prophetæ aut somnians somniū ediderit tibi signum*



3  
1.  
47  
2  
3  
2

signum aut prodigium, quod prædixerat tibi dicendo sequamur DEOS alienos, quos non noveras, colamus eos: Ne auscultate verbis Prophetæ illius, aut isti somniant somnium: quia tentat Jehova DEUS videlicet vos, ad cognoscendum, an sitis amantes DEI vestri ex toto corde vestro, & ex toto animo vestro. Jehovam DEUM vestram sequimini, & ipsum timete & mandata ejus observate, ac voci ejus auscultate, eumque colite & adherete ei. Prophetæ autem iste aut iste somnians somnium plectitor morte.

X.

Nec Patres veram fidem hinc dignosci unquam voluerunt. Chrysostomus hom. 29. in Matth. *Miraculorum operatio MAGIS apud eos invenitur, qui sunt FALSI Christiani.* Theodoretus in Deut. 13. *Instruimur igitur non credere, quando qui talia facit, Contraria Pietati docet.* August. de unit. Eccles. cap. 16. *Non dicat quis ergò verum esse, quia mirabilia fecit Donatus, vel quilibet alius, vel quia huic aut illi visum contingat, removeantur ista signa mendacium hominũ, vel portenta mendacium Spirituum.* vide eundem lib. 10. de civit. DE I cap. 16. Et tractatu 13. in Johannem. Theophylactus com. in Luc. cap. 9. vers. 2. πολλοί γὰρ πολλὰς θαύματα ἐποίησαν ἀπὸ δαιμονίων, ἀλλ' οὐκ ἦν τὸ κήρυγμα αὐτῶν ὑγιὲς διὸ ἐδέετο δαίμονα αὐτῶν ἐκ θεοῦ.

XI.

42  
50  
48  
49  
44  
48  
47  
46

Quid? quòd Acosta Jesuitis ad fidem suam Indis in novo orbe probandam miracula non esse necessaria, apertis verbis profiteretur lib. 2. de Indorum salute cap. 9. *Quid, inquit, magnorum signorum confirmatione opus est, ubi potius acuta intelligentia desideratur ad altitudinem doctrinæ nostræ disquirendam? Unum huic novo orbi potentissimum, & ad fidem efficacissimum & penè singulare miraculum necessarium est, mores cum fide congruentes, hoc Abunde sufficit.* Paulo post: Non ergò fides jam satis firmata miraculis novis indiget confirmari: quin potius utilius esse asserit signis nunc carere, quia majoris meriti

C

lit



sit sine illis credere. Pererius commentario in Exod. 7. disp. 3.  
Pag 358. ex Augustino lib 83. quæst. quæst. 79. repetit, Christum  
Matth. 24. (Surgent Pseudopropheta) utique admonere, ut  
intelligamus etiam sceleratos miracula quædam facere, qua-  
lia vel sancti facere nequeant, nec tamen ideò potioris loci a-  
pud Deum esse. Et huc refert Magorum Ægyptiorum exem-  
plum; Qui Deo non erant acceptiores quàm populus Israel,  
etsi facerent, quod populus facere non poterat.

XII.

Verminosa itaque sunt duo Bellarmini fundamenta, qui-  
bus præsuppositis victoriam Romanæ Ecclesiæ adversus quos-  
vis promittit. *Unum* est, quòd ad novam fidem confirmandam  
opus sit miraculis: *Alterum*, quòd id necessariò verum sit,  
quod miraculo confirmatur, eò quòd miraculum solius DEI  
virtute edatur, proinde DEI, qui mendacii testis non est, sic  
testimonium. lib. 4. de notis Eccles. cap. 34.

XIII.

Circa primum non distinguit Bellarminus inter fidei peni-  
tens novæ primum & continuatum præconium. Illud miraculis  
confirmandū esse extra dubitationis aleam est constitutum. Sic  
Apostolis miraculorum donum erat necessarium, quia no-  
vum Evangelium orbi hætenus ignotum prædicandum erat.  
Quoties verò id à Papistis huc trahitur, elenchum alienæ quæ-  
stionis committunt. Nec enim primum penitens novæ fidei  
præconium sibi arrogat, nec nobis tribuere ullo modo pos-  
sunt. Cum hoc elencho alius conjunctus est, qui dicitur à di-  
cto secundum quid ad dictum simpliciter. Ad continuatum  
veritatis præconium, sive id fiat ordinariè, sive extraordinariè  
miracula non sunt necessaria, lex enim & testimonium est pro  
fundamento. De eo Chrysostomus homil. 23. in Johan. *Non-  
ne & nunc quoque signorum petitio, tentantium est? Sant sanè &  
hac nostra atate qui querant, quare & nunc signa non fiunt? Si fi-  
delis*



delis es ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est; non indiges signis. Signa enim incredulis dantur.

XIV.

Circa alterum, i. discriminanda sunt vera à fictitiis miraculis, quæ mirabilia sunt. Hæc non excedunt virtutem creatam & à diabolo patrari possunt: Illa solius DEI digito eduntur, quippe qui solus mirabilia facit. Psalm. 72. De mirabilibus quod veritatis non sint nota, utrinq; est cōsensus. 2. In veris miraculis prima virtus semper est increata, id est, DEI qui mendacia suo testimonio non approbat, in quo cum Pontificiis lubenter consentimus. At hi observent, non unius ordinis esse ministros miraculorum; jam enim sunt boni Angeli, jam veritatis præcones, jam falsorum dogmatum fabri. Sic enim Christus Matth. 24. 24. *Surgent enim PseudoChristi & Pseudopropheta, & edent signa magna & miracula; ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.* Non ergo illic veri Prophetæ, & veritatis sunt prædicatores, quicumque DEI virtute signa vera edunt; ut etiam ex Deutero. 13. liquidissimè constat.

XV.

Costerus apolog. part. 3. cap. 8. pag. 470. excipit: Ab improbis miracula fieri, non in suæ pietatis testimonium, sed in confirmationem sacræ doctrinæ, & orthodoxæ religionis, quam profitentur, agnoscimus ex Matth. 7. multi dicent &c.

Resp. 1. Christus non dicit omnia etiam improborum miracula in confirmationem veritatis cedere. videatur textus. 2. Nec scopus hunc sensum postulat. Vult enim homines pietatis studio accendere; idque hoc argumento, quod nec veritatis præconio, nec miraculorum dono quisquam cœlum penetret, nisi faciat Patris voluntatem, qui est in cœlo. Quomodo hinc concludas, omnibus miraculis orthodoxiam corroborari? 3. Imò contrarium ex verborum coherrentia patescit. Sicut enim multi nomine Christi abutuntur ad tegenda erro-



rum monstra, sic multi miracula fædis dogmatum portentis obtendunt. 4. Sed & scriptura disertè docet, non unum DEO in miraculis finem esse propositum. Sicut enim frequenter veritati confirmandæ destinatur, sic nonnunquam pertentandæ hominum *ei* *ingre* & constantiæ adhibet. Qua de re planissimum est, quod Moses Deute. 13 dicit: *Ne auscultato Prophetæ isti (qui signa edit) aut isti somniantis somnium: Quia tentat Jehova Deus videlicet vos, ad cognoscendum, an sitis amantes Dei vestri ex toto corde vestro, & ex toto animo vestro.* Si verò DEUS concedit hominum tentandorum causâ, ut falsi Prophetæ veræ miracula edant, quomodo omne verum miraculû sit veræ fidei irrefragabile documentum?

XVI

Jesuita Mulhusinus parte 2. disp. de fide quindecim veræ doctrinæ notas recenset; ad eodque eam demum pro vera tutò suscipi, tuetur. 1. quæ non habet à novis hominibus diversorum nominum sectas 2. quæ est antiquissima 3. ab initio sibi constans 4. Catholica 5. ab antiquitate ad nos successivè deducta 6. conformis primitivæ Ecclesiæ 7. cujus propugnatores inter se sunt unanimes 8. quæ gentiles convertit 9. quæ Sanctos homines semper efficit 10. cujus alumni veræ miracula faciunt 11. quæ in verbum DEI manus non iniicit 12. quæ arbitrarias & vertiginosas scripturæ interpretationes averfatur 13. omnibus hæresibus ostium claudit 14. à blasphemis dogmatibus abstinet 15. cujus doctores primi, medii, ultimi in dogmatibus persuadendis, nullis mendaciis indigent, & ab aliis abstinent.

XVII.

Prima nota multis nominibus est notha: 1. Teste enim scripturâ fideles Antiocheni secta Nazarenorum vocabantur, & ejus Princeps Paulus Actor. 24. 5 idquæ à Jesu Nazareno, de quo Arias Montanus in Matth. 26 sic scribit: *Nazarenorum nomen tam infame apud Jædæos esse cuperat propter Jesum, quem nova secta*  
auto-



autorem appellabant, eratque perinde, ac si quis hæreticum diceret.

2. Corinthii non obstringebant se hæresi, etsi præpostero Zelo, hi illum, alii alium doctorem propter donorum excellentiam secuti de ejus nomine gloriarentur. 1. Cor. 3. Non enim nomen, sed dogmatum varietate perit veritas.

3. Nullo unquam seculo hæreticorum improbitas Christianos doctores ex ois hæreticorum nominibus insectari cessavit. Unde Lindanus in præfat. Panopliæ ait: *prisco seculis catholicæ fidei propugnatores Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, hæretici hæreticos, Manichæos, Homonianistas, Sabellianos, Basilianistas appellabant.*

4. Distinguendum igitur est à veritatis propugnatore, erroris auctor; *illius* nomen sive ex intèpestivo affectu usurpetur sive ab aliis odiosè traducatur, fidem in suspicionem non adducit: circa *hujus* nomen secernenda est à spontanea usurpatione & justa attributione, malitiosa affectio: Hæc immeritò suspicionem movet: meritò autem spontanea usurpatione & justa attributio.

5. Si certi auctoris nomen doctrinæ simpliciter præjudicare dicas, duo sequentur absurda. *Unum*, veram doctrinam esse falsam, quia à Christo auctore nomen habet: Patrum etiam doctrinam hæreticam fuisse, quia nominati sunt ab hæreticis Manichæi, Sabelliani, Basilianistæ. *Alterum*, falsam doctrinam nonnunquam pro vera habendam esse: Ratio: Multis enim hæresibus nulla persona, sed dogmata nomen indiderunt. Tales fuerunt Antropomorphitæ, Angelici, Cathari, Agnoëtæ, Alogiani, Acephali, hodiè Anabaptistæ.

#### XVIII.

Secunda est ejusdem notæ: 1. antiquitas enim temporis doctrinæ est accidentaria, non essentialis.

2. Separabilis: Separari enim potest à veritate: cùm fuerit olim hæc sine illa. Cùm primum enim Christiana fides prædi-



cari cœpit, non fuit antiqua quamvis vera esset. Quod ipse Bel-  
larminus lib. 4. de notis Eccles. cap. 5. fatetur his verbis; *Christi-  
ana religio jam recens nata, mox oppugnata erat à Scribis & Pha-  
risæis: Deinde summa vi etiam à gentibus.* Fuit ergò vera cum  
antiqua non esset. Ideò Tertullianus de velandis virg. *Quod-  
cunque adversus veritatem sapit, heresis erit, etiam consuetudo.*

3. Est communis falsitati, quis enim mendacium primum  
peccati factum cum veritate in mundum involasse veritate e-  
ruditus nescit? Eà inter homines pervagatà cum corrupta ho-  
minum natura factum est, ut omnibus & seculis & populis ve-  
ritatis specie eluserit homines mendacii pater. Ea de causa Cy-  
prianus lib. 2. contra gentes: *Sed quod nos agimus novum est,  
quod vos priscum: & quid hoc aut vos juvat, aut nostram cau-  
sam contristat? Religionis auctoritas, non est tempore metienda.  
Minimè, sed ne bonam causam proderet videar, omnipotens Deus  
novella res est.*

4. Distinguendum itaq; est inter antiquitatem fumosam  
& luminosam. *Fumosam* voco, quæ luce Prophetarum & Aposto-  
lorum destituta, solius temporis & annorum nebulam offundit;  
*luminosam* nomino, cujus certa origo in Christo Jesu vero veræ  
antiquitatis ἀρχὴν & antiquo dierum Apo. 16. 5. notata & Pro-  
phetarum & Apostolorum radiis collustratur. In illa tantum  
est temporis tractus, qui tam falsitati quam veritati competit:  
In hac sunt duo: veritas & tempus, & ista quidem primum,  
hoc secundum in examine locum tenet. De hoc antiquitatis  
genere Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. *Id est ve-  
rius quod prius: id prius quod ab initio: id ab initio quod ab A-  
postolis.*

Cum autem veritas sit antiquitatis, quæ fidem commen-  
dat, anima, & hinc de veritate queratur, quomodo antiquitas  
notæ notionem hinc sustinere queat, ego quidem non video.

XIX.

Hic



Hic quoque non ineptè distinxerimus inter antiquitatem  
*ἡσέεισθον & ἀνεσθον*, divinam & humanam. *Illa* veritatem a-  
podicticè probat; *hæc* non nisi probabiliter, per se autem sola  
nihil potest. De illa Jeremias cap. 3. *Stare super vias & videte &  
interrogate de semitis antiquis: quoniam sit via bona & ambula-  
te in ea, & invenietis requiem anima vestra.* De illa Johan. 1. ep.  
2. 24. *Vetus hæc doctrina est, quam audistis ab initio.* De illa  
Tertullianus apolog. contra gentes: *Antiquior omnibus est  
veritas, hoc mihi proficit antiquitas præstructa à divinâ literaturâ.*  
De hac Jeremias cap. 2. v. 6. Daniel cap. 9. De hac Christus  
Matth. 5. dictum est antiquis. Ego verò dico vobis. De hac Je-  
saïas cap. 43. *Ne memineris priorum & antiqua ne intuemini:*  
de hac denique Augustinus nov. & vet. Test. quæst. 114. *Hic est  
mos Diabolicus ut per antiquitatis traducem commendetur fal-  
lacia.*

2. Inter antiquitatem absolutam & comparatam: *Absol-  
uta* antiquitas, cujus initium à Deo capitur, est perpetuus &  
indubitatus veritatis comes: Et hoc sensu, antiquissimum  
quodquè est verissimum, omne autem falsum novum. *Com-  
parata* est, quæ rei respectu certæ circumstantiæ competit. Sic  
error qui longo tempore interrupto veritatis præconio publi-  
cè est propagatus ipsâ veritate in lucem productâ dici potest  
antiquior. Ostendi enim potest tempus, quò error sonuit in-  
cætu, siluit veritas: Ita Indis ipsorum superstitio est antiquior  
doctrinâ & ceremoniis Christianis. Ita contra Christum tan-  
quam novum doctorem antiquitatis titulum superciliosè sibi  
Pharisæi vendicabant. Et hoc sensu Cyprianus agnoscit Gen-  
tilium religionem esse vetustam, Christianam verò novam lib.  
2. contra gentes: cùm hæc si rem absolutè & in se spectes, sit o-  
mnium prima. Proinde hoc sensu non omne antiquum est ve-  
rum, multo minus veritatis certum indicium.

XX.

Tertiam.



Tertiam notam quod attinet, fatemur quidem veram doctrinam esse constantissimam, imò æternam: Id à Spiritu Sancto docti Psalm. 119. Jesa. 40. 1. Pet. 1. v. 23. 25. fatemur etiam doctrinam, quæ sibi non constat, nec perseverat, falsam esse. Fatemur deniquè falsas doctrinas habere pleraq; inter se ἀντινομία ἀντιδιγρημένως ἐνα, πια, ἀσίστα, inter se discrepantia, contraria, disparata, absurda vel in fundamentis, vel in earum applicatione, in ipsarum videlicet partium fundamentis superstruendarum confirmatione, quæ cum fundamento coherere non potest. Non tamen, quæcunque doctrina sibi constat, est illa salutaris fides, quam solam tutò inter tot religiones amplectimur. Ratio: Est enim constantia affectio communis: cùm nos de propriis & convertibilibus agamus,

XXI.

Quarta nota Jesuitæ est καθόλος. Intelligi autem potest vel κατ' ὄνομα vel κατ' ἔργον πᾶν γένος. Nomen veræ fidei nota esse nequit: 1. dici enim aliquid de aliquo est res contingens, non necessaria.

2. Potest etiam à falsorum dogmatum auctoribus & aëclis usurpari; quemadmodum Ecclesia Sardiensis nomen habebat quòd viveret, & si mortua esset, Apoc. 3. Ita Augustinus contra Epist. fundame. cap. 4. scribit, quòd omnes hæretici dici velint Catholici. Ita Roffensis contra Lutherum art. 3. *Marcionites, inquit, se Catholicos & orthodoxos dici voluerunt, ceteros hæreticos appellabant.* Ita Bellarminus lib. 4. de notis Eccl. ca. 4. *omnis hæresis vult videri & dici Catholica Ecclesia.*

3. Quemadmodum non necessariò Christianus est, qui nomen gerit, sic non indubitò est fides vera, quæ Catholica audit. A dici enim ad esse non valet consequentia: Multa enim dicuntur, quæ non sunt: & multa sunt, quæ non dicuntur. Bene Salvianus lib. 4. de providentia; *Christianum nomen quasi aureum decus est, quo si indignè utamur, fiet ut sues cum ornamento esse videamur.*

No.



4. Nomen hoc cum vera fide non cœpit esse; Nusquam enim in totâ scripturâ hoc sensu expressum occurrit: Et Pacianus epist. ad Sempr. scribit, neminem sub Apostolis vocatum fuisse Catholicum. Est ergò separabile. Non igitur indubitata nota.

5. Quod si hanc notam reciperemus, jam Donatistæ, jam Arriani, jam Marcionitæ, jam alii hæretici veram tenerent fidem, quia omnis hæresis vult videri & dici Catholica, teste Bellarmino: plerique autem hæretici hoc nomen rapuerunt, teste Augustino.

XXII.

Nominis ratio à Gregorio de Valentia analys. fidei lib. 6. cap. 3. assignatur triplex. *Prima* est universalitas doctrinæ, de DEO, de creaturis. *Secunda* est universalitas loci, quæ scilicet per universum orbem diffunditur. *Tertia* est universalitas temporis, quo sensu fides Catholica dicitur, quæ semper fuit, est, & ad mundi finem erit. At quamcunque rationem urgeas, nunquam tamen hinc notam orthodoxiæ essentialem exsculperis. Si *Primam* afferas, respondeo duplicem esse doctrinæ universalitatem, unam *enormem*; alteram scripturæ *conformem*. Illa est hæreticorum, qui nihil in doctrinâ intactum, nihil lue erroris non infectum relinquunt: fundata autem est ἐν ἰσχύϊ Πιλιπόσει. quam Petrus à scriptura dimovet. 2. Pet. i. ver. 21. hæc est veræ fidei. Illa ne adversariorum quidem iudicio nota dici meretur. Eam enim homines de suo comminiscuntur, ac proinde est falsa & gignit meras ἐβελθεροποιείας. Hæc commendat quidem veram fidem, at postquam novum respectum induit, id est, non quatenus est doctrinæ universalitas, sed quatenus Propheticiæ & Apostoliciæ regulæ congruit. Nō igitur τὸ καθόλου, quâ tale, sed quâ Propheticum & Apostolicum est, orthodoxiam commendat, & est nihil aliud, quàm quod Deus in scripturis suis mandavit omnibus peræquè hominibus, quibus

D

salutis



salutis cognitio universè offertur, juxta illud Apostolicum. 1.  
Timoth. 2. XXIII.

Si *Secundam* alleges, ego verò nihil ad rem facere dicam, id sanè quod res ipsa postulat, dixerò. 1. Et si enim Evangelium longè latèque propagatum, ab universo orbe etiam auditum. iri Prophetæ prædixerint Psalm. 72. 8. 9. 10. Jesai. 49. & 60. 5. 6. quæ de causa Christus omni creaturæ prædicari voluit, Marc. 16. Tamen hanc latissimam diffusionem veritatis inevitabile *πεμπήγιον* fore, nec ullus Prophetæ prædixit, nec Christus unquã asseruit. Imò nec usquam promisit, omni tempore usque ad mundi finem in omnibus terræ partibus fidem publicè prædicatum iri; quin potius AntiChristum in DE I templo sessurum & Apostasiæ generalis auctorem fore pronuntiavit per Paulū 2. Theff. 2. Unde datur intelligere, fidem veram ex eo non certò agnosci, quod in omni loco publicè prædicetur.

2. Universalitas hoc sensu nota esse non potest: Non enim est sensibilis, id quod Bellarminus in omni nota requirit. l. 4. de not. Eccl. cap. 2. το καθολικόν. qua tale, est objectum rationis.

3. Non competit veræ fidei omni tempore: quod de præterito probatu est facile. Non enim ab initio mundi, ac nequidem à Principio novi Testam: statim in omnibus orbis angulis veritas est prædicata, nedum recepta. Quæ de re plana est Costeri confessio in enchiridio de Ecclesia p. 89. his verbis concepta: *Ut Ecclesia (fides) eodem tempore Totius orbis ditiones occupet, ne in hunc usque diem fortasse contigit, quando antarcticis hominibus, & qui extremas remotissimasq. America oras incolunt, fides Christi nunquam innotuit.* Imprimis fides Patrū in V. T. Catholica non fuerit: non enim totum orbem terrarum pervasit; si non Catholica fuit: fuerit ergò hæretica: Ei enim quod hæreticum est, vox illa apud Justinianum. Imperat. opponitur, cùm agitur de doctrina. Si hæretica non fuit, Catholicismus fidei non pendet ex universalitate loci. De futuro nemo



nemo facile dixerit, usque ad Christi adventum in omnibus & singulis mundi partibus veram fidem doctum iri; modò legerit illud Christi. Luc. 18. *Cum venerit filius hominis, an reperturus est fidem in terra?* & cap. 17. *Venient dies quando desiderabitis videre unum dierum filii hominis & non videbitis.* Modò legerit Apostoli prædictionem de Apostasia mundum in aëura: deniq; modò Apocalypticas visiones viderit. Fatetur hoc expresse Costerus pag. citatâ his verbis: *In apocalypsi prædixit Apostolus novissimis temporibus cælum recessurum ad instar libri involuti, hoc est, Ecclesiam, quæ prius patebat, in angustias contrahendam.* Et Driedo lib. 9. cap. 2. part. 2. de Eccles. dogmat. dicit, non requiri, ut uno tempore in omnibus provinciis aliqui sint fideles. Imò Bellarminus lib. 4. de notis Eccles. cap. 7. scribit: *Quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc eam verè ac propriè dici Catholicam.* Non igitur ad fidei veritatem necessaria est loci universalitas, sicut ad solis veritatem non requiritur, ut omnibus orbis incolis in utroque hemisphærio simul luceat.

4. Denique τὸ καθόλου hoc sensu etiam falsitati convenit. Quis enim locus à Satanæ technis est liber? quis mendaciis & errore purus? Fatetur Mulhusinus disp. de fide p. 37. ad *Arianam heresin olim totum orbem accessisse.* Et Bellarminus lib. 4. de notis Eccles. cap. 7. ex Augustino li. de past. ca. 8. citat, *Ecclesiam esse ubique, & HÆRESIN UBIQUE.*

XXIV.

Si *Tertia* in medium producat, respondebo, veram, quidem fidem à mundo condito semper fuisse, adhuc esse & perpetuò duraturam esse; id verò pro nota suscipere non possumus. Ratio: Etenim perfidia Satanæ etiam fuit ab initio & durabit usque ad finem: Fuit ab initio mendacium, quod jam in hac, mox in illa hæresi continuatur: nec finis erit erroris ante iudicii diem. Quod verò alii est commune, id proprium rei

D 2

χειρίων



κρίτηριον dici nequit. Quamvis hæc & illa hæresis exorta non  
evanuerit, quod Augustinus in Psal 57 graviter exaggerat, ne-  
garitamen non potest falsitatem ἐν τῷ πλατέι semper manere,  
quod nostro proposito sufficit. Accedit, quod duratione veri-  
tas ab hæresi non tutò discernitur, quandiu hæresis durat.  
Quærimus a. hic notas veræ fidei perpetuas. Imprimis hic  
facit, quod Paulus mysterium iniquitatis jam suo tempore cœ-  
pisse docet. 2. Thef. 2. durabit autem antiChristi regnum, adeo-  
que ejus hæresis usq; ad Christi secundum adventum, quo de-  
mum penitus abolebitur, ut in eum locum commentatur Ca-  
sianus.

XXV.

Sapienter ergò accipiendum est, quòd Vincentius Lirinē-  
sis id demum Catholicum nominat, quod semper, quod ubiq;,  
quod ab omnibus creditum est. Non enim putandum est, ni-  
hil Catholicum esse, nisi quod simpliciter ab omnibus semper  
& ubiq; recipiatur. Ita enim nihil Catholicum erit, ac ne trini-  
tatis quidem in essentiæ divinæ unitate mysterium, major e-  
nim pars orbis aliquando contrarium tenuit. Catholicum er-  
gò illud est, quod omnes passim rectè sentientes & scriptu-  
ram sequentes tenent & tuentur. Nec ex subjectorum multi-  
tudine, sed objecti integritate ac divinitate τὸ καθόλου definiri de-  
bet. Quorum mens in solo credentium numero, locorum am-  
plitudine & temporis diuturnitate est defixa, iis meritò oc-  
clamamus, ex Nazianzeni sermone contra Arrianos, *ubinam  
illi sunt, qui multitudine Ecclesiam (fidem) definiunt, & exiguum  
gregem adspernantur?*

XXVI.

Quinta Jesuitæ nota, quæ est *ab antiquitate ad nos succes-  
siva deductio*, declaratione opus habet. Veram n. fidem ad se-  
ram posteritatem successivè deduci, certum est, sicut ipsum  
fedus, quod illius est incommutabile fundamētum. Conside-  
randum verò est successiois caput seu initium & medium.

AN



Antiquitatis, unde successio deducitur, initium à Christo & eius Apostolis est capiendum, si fidei veritas stabiliri debeat: Extra eum n. nulla antiquitas, nulla successio fidem meretur. Hoc vult Tertullianus, cùm de præscript. adver. hæret. docet, incedendum esse eâ regulâ, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, & Ambrosius lib. 5 de virg. *Nos nova omnia, quæ Christus non docuit, jure damnamus, quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non docuit, quod docemus, id certè deestabile judicamus.* Irenæus lib. 3. cap. 3. An- nunciatam ab Apostolis Fidem per successiones Episcoporum per- venientem usq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malâ, vel vanam gloriâ, vel per cæcitatem & malam sententiâ, praterquam oportet, colligunt. Circa medium habenda est ratio instrumenti, quo com- prehensa est veritas, personarum per quas propagatur, loci, & certi modi. *Instrumentum veritatis authenticum* nomino scri- pturam Propheticam & Apostolicam: Quæcunq; verò fides in hoc instrumento comprehensa ad posteritatem deducitur, ea est vera ac salutaris. Quæ ratione ad κειμήλιον, de quo supra pluribus dictum est, animus est revocandus.

XXVII.

Traditiones ἀγράφοις, hominum decreta & commentarios ab hac authentici instrumenti dignitate procul arcemus.

XXIX.

Quemadmodum autem Deus in instrumento veritatem conservat, ita etiam in personis. Nempè Ecclesia veritatis est hæres sempiterna. Habet enim Deus semper suum electum cœtum, in quo veram fidem Spiritu Sancto obsignat idèd Ec- clesia εὐλη & ἐδραλωμα veritatis nuncupatur. i. Tim. i. Nectamen hinc essentialis veræ fidei nota peti potest, cùm mendacii pater non minus suos habeat omni seculo affectas.

XXIX.

D 3

Ca.



Ceterum certum hominum ordinem & continuam personarum successionem in Ecclesia ad veræ fidei gloriam obtinendam requiri, Papistæ putant: quibus quò minus calculum nostrum addamus, gravissima ratio efficit. Est enim ista certi ordinis successio à veritate separabilis, & communis. Quòd sit separabilis, hinc constat; 1. Vera enim fides fuit tam in Veteri, quàm in Novo T. ante & sine successione Episcoporum. In veteri antequam sacerdotium Aaronicum institueretur: In novo tempore Christi & Apostolorum. Cui enim sive ille, sive isti successerunt? Num Aaroni? an Pharisæis? puto!

2. Solet aliquando ordinaria Episcoporum successio interrumpi, non interruptâ fidei successione. Id quod ex V. & N. testamento constat. E veteri à Jeroboami usq; ad Samariæ everisionem tempore non fuit in Israël ordinarium sacerdotium Leviticum. Et tempore captivitatis Babylonice in Catholica Ecclesia Leviticum ministerium desit: Quomodo eo tempore veram fidem à falsa ex Levitici sacerdotii successione discreveris? E novo; prædixit Spiritus Sanctus, Anti-Christum in templo DEI sedesurum, & omnia susq; deq; versurum esse, quod sine ordinariæ successionis interruptione ne fingi quidē potest: Fides tamen etiam sub AntiChristi regno conservabitur & ad posteros transmittetur.

3. Hinc fatetur Bellarminus veritate coactus, *non ibi necessario esse Ecclesiam* (adeoque veram fidem) *ubi est successio.* lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 8.

XXX.

Accedit quòd ista successio communis est falsæ fidei, idq; teste scripturâ, historiâ Ecclesiæ, & consentientibus adversariis. 1. Scriptura quidem docet, ordinarios Ecclesiæ Episcopos errare posse & à veritate deflectere. Sic enim DEUS Jezech. 7. *Querent visionem à Propheta, & lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.* Et Jesai. 56 *speculatores ejus cæci omnes; nescierunt uni-*



universi. Exempla quoque enumerat longè tristissima: Aaron enim summus sacerdos in horrendam idolomaniã prolabitur Exo. 32. UR I A S manifestam idololatriam in regis Achabi (2 Reg. 16. 10.) gratiam approbat. Sacerdotes in Juda ad eò à vero DE I cultu deflectebant, ut etiam librum legis amitterent. 2. Reg. 21. 22. 23. Et Paulus de novo Testamento testatur, quosdam scœnum, ligna & stipulas fundamento superstruere. 1. Corin. 3. Ipse a. CHR I S T U S dicit Pharisæos sedere in Mosis cathedra, Matth. 23. quos tamen habuisse veram fidem nemo, qui verus sit Christianus, facillè dixerit: Christum enim tanquam hæreticum damnarunt.

2. Ecclesiæ historia testatur, Arrianos, Donatistas, aliosque hæreticos Apostolicis viris in Ecclesia successisse, quibus nemo veram fidem idèò tribuerit.

3. Ipsi verò adversarii Græcis Ecclesiis fidei veritatem non concedunt, cui personalem successionem, & quidem ab Apostolis deductam denegare vix audebunt, nisi frontem perfriuerint. Nicephorus enim lib. 8. Chron. cap. 6. enumerat Bizantinæ Ecclesiæ Episcopos viginti tres & orditur ab Andrea Apostolo.

XXXI.

Ea de causa Patres non fidem ex personis, sed personas ex fide æstimandas esse statuerunt. Tertullianus de præscript. adv. hæret. *Non ex personis fidem, sed ex fide personas probari oportet.* Nazianzenus de laud. Athanasii: *successio sedis est nomine tenus successio, nisi Fidei habeat veritatem.* Iterum Tertullianus loco cit. *Ipsa doctrina hæreticorum cum Apostolica comparata de diversitate & contrarietate sua, pronuntiabit: neque Apostoli alicujus esse suam Ecclesiam, neque viri Apostolici, quia sicut Apostoli non contraria Apostolis, ita viri Apostolici non contraria Apostolicis edidissent, ita ut nihil promoveant, licet dicant, se Apostolis successisse ab alijs Ecclesijs, quæ licet nullam ab Apostolis aut Apostolicis authorem suum proferant, tamen in eadem*



*dem fide conspirantes, non minùs Apostolica deputantur, propter consanguinitatem doctrinae.*

XXXII.

Veritas tam fortis est ut adversariis sæpè ex torqueat superbam de successione gloriationem. Extorsit sanè Stapletono, qui lib 15. de doctrin. princip. cap. 6. in hæc verba erumpit: *Personalem successionem nihil moramur, modo doctrinam nostram consentientem scripturis ostendere possimus.* Extorsit eandem Æneæ Sylvio, qui in gestis Concil. Basil. inter alia sic scribit: *Mihi nec laudi, nec vituperio erit, dummodo verè Christianus sim, majorum meorum matutina aut vespertina converso,*

XXXIII.

At sine personarum successione fidei successio ne fingi quidè potest. R. 1. Sanè semper aliquæ sunt personæ apud quas vera fides manet: quàmvis hinc à falsa fide tutò discerni nequeat. 2. potest a. esse sine cõtinaua certi ordinis successione, ut suprà probatū est: nec potest in hunc usq; diem ullus ex universa scriptura locus produci, quo ista successio sive promittatur, sive stabiliat. XXXIV.

Tantum de personarū successione. Successio *localis* minime est veræ fidei nota, sive in V. sive in novo T. Etsi enim in veteri T. certus locus deligeretur, ad quem supremum exercitiū divini cultus alligabatur, non ita tamen delectus est, quin eū error & idololatria occupare potuerit: Adeò ut nec eo quidè tempore loci successio certum veritatis fuerit documentum. Multò minus in novo: in quo veram fidem ulli loco alligatam esse, nullo argumento, nullo indicio probatur. Imò contrarium Christus docet, cū Samaritanæ mulieri circumstantiam loci & majorum exemplum urgenti respondet his verbis: *Mulier crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Johan. 4. Huc pertinet sanctorum historia



historia Heb. ii. *Alij rursus ludibria & flagella experti sunt, in-  
super vincula & carcerē. Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt,  
gladio casti, mortui sunt, oberraverunt cum ovillis & caprinis pel-  
libus destituti, afflicti, malè habiti. Quibus indignus erat mun-  
dus, in desertis errantes & montibus ac speluncis, & cavernis ter-  
ra &c. Huc digitum intendit Hilarius contra Auxentium ex-  
clamans: Malè vos parietum amor cepit: malè Ecclesiam DEI  
in tectis, adificiisque veneramini. Anne ambiguum est in ijs An-  
tiChristum esse sessurum? Montes mihi & sylva & lacus & carce-  
res & voragines sunt tutiores, In illis Prophetæ prophetabunt.*

XXXV.

Modus, quo vera fides successivè ad posteritatem deduci-  
tur, ejus indubitatum *τεκμήριον* dici non potest: Ratio, quia  
non est semper sibi similis. Qua de re pulchrè Ambrosius lib.  
4. Hexam. cap. 8. *Ecclesia tum V. tum N. T. sicut & luna defectus  
habet & ortus frequentes.*

Nempe 1. iam per ordinarios ministros veritas propagatur,  
mox per extraordinarios, cùm illi officio suo desunt: Id quod  
veteris testamenti historia abundè confirmat.

2. Iam publicè & palàm defenditur, mox in abdito pro-  
pter hostium tyrannidem asservatur & custoditur, aded ut o-  
mnes credentes periisse videantur, sicut tempore Eliæ. 1. Reg.  
19. Rom. 11. & Ecclesia clamet ex Psalm. 74. 9. *Signa nostra non  
videmus, non est ultra Propheta, neque nobiscum qui cognoscat.*  
Has præconii vices scriptura novi Testamenti non obscure de-  
signat; cùm AntiChristum in DE I templo sessurum esse, Pau-  
lus (ut sepiùs hūc locum allegare nobis liceat) prædicat 2. Thes.  
2. cùm mulierem in desertum fugituram, Angelus cælitus re-  
velat, Apoc. 12. Et verè Augustinus epist. 48. ad Vincentium; *Ec-  
clesia aliquando obscuratur, & quasi obnubilatur multitudine  
scandalorum, tribulationum & tentationum fluctibus operitur  
& turbatur.*

E

Ve.



3. Veritas jam apud plures viget, mox in exiguo creden-  
tium numero est residua. Proinde non necessariū est, omnibus  
retro seculis integras Ecclesias, provincias, regna ostendere,  
quæ veritatem Apostolicam sint palam professa.

4. Veritas jam purior, mox impurior ad posteros trans-  
fertur, sicut enim aqua in scaturigine purissima aliquid fordi-  
um contrahit, lutosa loca trāseundo, sic humana ingenia veri-  
tati in se purissimæ labem sæpè adspargunt. Proinde in fide suc-  
cessivè ad nos deducta diligenter secernendum est lutum hu-  
mani ingenii à primigenia puritate, quæ tutissimè in scaturigi-  
ne quæritur, & invenitur.

XXXVI.

Hinc constat, ordinariam, publicam, & universalem suc-  
cessivam deductionem, seu præconium, quod Papistæ urgent,  
non esse necessarium veræ fidei *τελευτησιον*.

XXXVII.

Sexto, Jesuita Mulhulinus *conformitatem cum antiqua Ec-  
clesia* urget disp de fide part. 2. Thef. 8. Qui, si loqueretur de an-  
tiquitate prima & Apostolica, nos haberet adscriptores. Ipsi  
enim docemus, eam demum veram esse fidem, quæ Ecclesiæ  
Apostolorum eoque Apostolicæ conformisprehenditur.  
Conformitas autem non ex levibus conjecturis, non ex tradi-  
tione etiam vetustissima, sed authenticis Apostolorum tabulis  
est confirmanda: juxta hanc regulam & nostram censi volu-  
mus, & aliorum fidem censemus. Hanc conformitatem olim  
urfit Tertullianus lib. de præscript. adver. hæret, his verbis; *Ex  
ipso ordine manifestatur id esse dominicam & verum, quod sit pri-  
us traditum. Id autem extraneum & falsum quod sit posterius  
immissum. Et posterior res nostra non est. Imò omnibus prior. Ve-  
rùm enim verò Pontificii non tam ad consensum cum Apo-  
stolica antiquitate, quàm cum sequentium seculorum Patri-  
bus nos revocant. Quibus sensum nostrum contra conscien-  
tiam ac-*



etiam accommodare, nec debemus, nec volumus. Sicut enim conformitatem cum Prophetarum & Apostolorum antiquitate tanquam canonem sanctè recipimus, sic in altera docentium categoria, qui istis successerunt, veluti annorum latifundio ætates, in quibus scripserunt, accuratè distinguendas esse existimamus. Sicut enim certū est, in aurea Apostolorum ætate puram Evangelii doctrinam viguisse, verisimile etiam est eandem in illis sanctiùs fuisse conservatam, qui ad primam Apostolorum ætatem propiùs accesserunt: Ita posterioribus seculis multa irrepsisse, ut facilis est novitatis lapsus, quis sanus negaverit? Quamvis etiam secula Apostolis proxima suos nævos habuerint, ut in temporum istorum Patribus est videre. Id quod nec Pontificii diffitentur. Sic enim Melchior Canus lib. 7. Locor. theolog. cap. 3. n. 7. *Alia claritas est Matthæi, alia Hieronymi, alia Jesaia, alia Ambrosii. Atqui auctores Canonici, ut superni caelestes, divini, perpetuam, stabilemque constantiam servant. Reliqui verò scriptores sancti inferiores, & humani sunt, Deficiuntque interdum, ac Monstrum quandoque pariunt, præter convenientem ordinem nature.*

XXXIIX.

Quo quæso igitur sensu (ut cominus adversarios adoriamur) hanc conformitatem pro veræ fidei infallibili nota venditabunt? Intelligi enim potest vel de omnibus plurium seculorum doctoribus; vel de omnibus unius seculi, qui è primitiva Ecclesia post Apostolorum tempora scriptos commentarios ad posteritatem transmiserunt: Si de pluribus seculis agatur, quis exploratum dabit, quid pluribus annorum centuriis singuli Ecclesiæ doctores de unoquoque fidei capite senserint? Ne centesima enim pars scriptis posteritati innotuit. Vides notam dubiam! intricatam! obscuram! si de omnibus unius seculi sanctis doctoribus agatur, res non minus erit dubia. Quodnam enim seculum huic rei destinabis? Num apostolicum? At si apostolos



postolos excludas, non constat, quid ceteri omnes suo quisque loco senserint; si Apostolorum temporibus proximum, eadem redit difficultas. Ne dicā de suspecta hypothesi, quæ est, omnes unius seculi doctores inter se in omnibus consensisse: quam nisi probes, frustra laboraveris. Conformitas enim cum veteribus veritatis τεκμήριον dici nequit, nisi constet, num omnes in eandem rem & inquam consenserint.

XXXIX.

Si verò conformitas cum omnibus, quorum scripta ad nos pervenerunt, sit intelligenda, nec hoc sensu erit indubitata fidei τεκμήριον. 1. Nam fides nititur non nisi testimonio divino. Illa verò conformitas est argumentum humanum. Ratio; Unus cuiusque Patris testimonium est humanum, nec infallibile, fatentibus adversariis. Ergò quoque universorum. Et si enim plurium consensu auctoritatis gradus crescat propter multitudinem, non tamen mutatur auctoritatis species. Ergò nec conformitas cum unanimi antiquitatis doctrina est testimonium divinum.

2. Unanimi doctorum sententiæ non creditur, nisi quatenus cum scriptura consentit: Ergò nec cōformitas cum illis pro indubitato fidei argumento suscipitur, nisi quæ scripturæ ad amissim respondet.

3. Qui non solum possunt errare, sed & multoties & quidem non leviter errarunt, eorum conformitatem pro fidei veræ indubitato criterio suscipere & stultum est & periculosum. Patres v. & errare potuisse & errasse tam est manifestum, quam pluvia cum est imber. Vide Canum lib. 2. loco. theol. cap. 3. num. 4. Bellarminum libro 3. de verbo Dei cap. 10. Batonium tomo. 4. an. 369 sect. 24.

4. Patres sæpè inter se pugnant, agnoscentibus ipsis Pontificis. Vide Alphonsum de Castro lib. 1. advers. hæres. cap. 7. Quomodo verò conformitas cum iis veram fidem infallibiliter designet, qui inter se dissentiunt, ego non video. Mul-



5. Multis seculis verum à falso est discretum priusquã Patres exstiterint: potest ergò vera fides ab erroribus sine Patrum consensu discerni.

6. Patres sanè hanc conformitatem tanti non fecerunt. Audet enim Augustinus ab omnibus provocare ad Apostolũ. vide epist. 19. ad Hieron. ubi inter alia ait: *Ad ipsum (Paulum Apost.) confugio, ad ipsum AB OMNIBUS, qui aliud sentiunt, & literarum ejus tractatoribus provoico, ipsum interrogans interpello, & requiro in eo, quod scripsit ad Galatas.*

7. Id quod Concilia comprobant. FLORENTINUM enim Concilium & quidem rectè statuit, iustorũ animas, ante iudicii diem DE I visione frui, cùm tamen contrariam sententiam tradiderint plerique Patres, Tertullianus, Irenæus, Origenes, Chrysoſtomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, Ambrosius, Clemens Romanus, Bernhardus, ut est apud Stapletonum cont. Witak l. i. c. 2. sect. 1. quibus Sixtus Senensis addit Justinum Martyrem, Lactantium, Victorinum, Prudentium, Arethan, Johannem 22. Papam. lib. 6. annot. 345. Synodus TRIDENTINA sess. 5. in append. decreti de orig. peccato declarat se Mariam virginem immaculatam non comprehendere in decreto de peccato originali, cùm tamen id docuerit Ambrosius, Augustinus, Chrysoſtomus, Remigius, Maximus, Beda, Anselmus, Bernhardus, Antonius Paduanus, Bernardinus, Bonaventura, Thomas, Vincentius, Antoninus, Hugo de Sancto Victore, quorum loca citat Canus lib. 7. cap. 1. His verò contrarium si licet Patribus Tridentinis decernere, quomodo conformitas cum Patribus erit veræ fidei indubitata nota?

8. Ipsi Pontificii Patres etiam consentientes floccifaciunt. Exemplo nobis est Bellarminus, qui sententiam de conceptione Mariæ virginis à Patribus diversam probabiliorem nominat lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati cap. 15. Exemplo



nobis est Pererius, qui scribit Græcos Patres, etiam non paucos Latinos (Bennius ferè omnes huc refert de auxilio divinæ grat. cap. 26.) causam prædestinationis hominum ad vitam æternam fecisse præscientiam, quam DEUS ab æterno habuerit bonorum vel malorum operum, quæ facturi erant, vel fidei quâ credituri erant: & subiicit; præscientiam fidei non esse rationem prædestinationis hominum, nullius negotii est multis & apertis scripturæ testimoniis ostendere, in Roman. 8. disp. 22. & 23.

9. Accedit denique hypothesis Pontificiorum. Arias Montanus enim in Galat. 1. At, inquit, *in rebus divinis auctoritas divina spectanda est, neque decet multitudinem aut conditionem personarum, sed rem ipsam æstimari.* Non licet igitur ex conformitate cum præcis Patribus de veritate infallibiliter judicare.

XL.

Septimò à Jesuita inter veræ fidei documenta refertur, quòd *eius defensores inter se sunt unanimes.* Ne error incautas mentes occupet, de primis, mediis & ultimis defensoribus, ut & de unanimatis objecto non nisi discretim est loquendum. *Primos defensores* nomino, qui quòd errare non possint, testimonium à Spiritu Sancto sunt consecuti; quales sunt Prophetæ & Apostoli: *medios & ultimos* appello, qui post Apostolorum tempora docuerunt, docent, & usque ad consummationem seculi docebunt. Unanimitas a. spectatur circa fidem & vitam: circa fidem considerantur dogmata & ceremoniæ. Inter dogmata quædam sunt ad salutem præcisè necessaria, alia non item. Proinde fundamentum ab iis, quæ fundamentum non concernunt, probè est secernendum: & diversi unitatis gradus admittendi. Sint ergò tres unitatis species: moralis, dogmatica, ceremonialis. Dogmatica rursus duplex: Fundamentalis una, altera totalis seu plenaria.

XLI.

Uni-



Unitas ceremonialis ne necessaria quidem est absolutè ad  
fidei veritatem, tantùm abest, ut sit ejus infallibile περὶ μὴ γινόν. Cū  
fidei enim unitate non pugnat ceremonialium diversitas. Im-  
primis cū multæ sint adia phoræ, adeòq; in cujusq; Ecclesiæ  
arbitrio ponantur, modò omnia fiant εὐτακτως καὶ εὐαγγελικῶς I.  
Cor. 14. Huc pertinet dissensio inter Orientales & Occidenta-  
les Ecclesias de celebrando Paschate in die Dominico. Id quod  
quidem Victor Papa sub excommunicationis comminatione  
adversus Orientales urisit, quo nomine ab Irenæo & aliis Epi-  
scopis est reprehensus, ut ex Eusebio constat libr. 5. cap. 25. tan-  
dem verò à Polycarpo & Victore definitum est, ut quisque su-  
am consuetudinem suamq; arbitrium sequeretur. Non enim  
esse εὐνητες ἐθῶν ἐνεκεν ἀλλήλων χωρὶς ἐσθῆς. Vide Sozomenum l. 7. hist.  
Eccles. cap. 19.

XLII.

Unitas moralis omnibus commendatur Eph. 4. Phil. 2. &  
ejusdem fidei socios maximè decet. At verò quod unquam se-  
culum nominabitur, quò inter fidei defensores nulla fuerit di-  
scordia? Inter ipsos fidei ἀρομαχούς sanctissimos Apostolos non-  
nunquam litigia sunt exorta. Vide Matth. 20. Luc. 22. Act. 15.  
Et ex eo Satanas in serendis litibus nunquam non fuit occupa-  
tus. Et si verò propter litigia & contentiones inter Christianos  
excitatas fides malè audiat, & ab iis, qui foris sunt, blaspheme-  
tur, non tamen vera fides esse desinit. Quare istæ dissensiones,  
non fidei sunt imputandæ, sed veris causis, quarum una est ex-  
terna, nēpè Satanæ & mundi malitia, internæ plures, videlicet  
ignorantia, confidentia, φιλαυτία &c. quæ etiam in pios in hac  
vitæ imperfectioe cadunt.

XLIII.

Unitas dogmatica tùm fundamēntalis, tùm totalis, seu quæ  
est tùm in solo fundamēnto, tùm quæ est in fundamēnto simul  
& aliis, fuit & quidē perfectissimè in primis veræ fidei defenso-  
ribus



ribus, Prophetis & Apostolis. I L L A V. simpliciter est ad veritatē  
fidei necessaria: Non n aliud fundamentū poni potest, præter id  
q̄ positū est, I. Cor. 3. proinde qui in salutis fundamento dissen-  
tiunt, ii verā fidem non habent inter se communem: Hæc non  
simpliciter ad veritatem, sed ad ejus perfectam, tum traditionē,  
tum receptionem pertinet: Quod facit, ut non necessariò vera  
fides inter eos esse desinat, qui in quibusdam dogmatibus in-  
ter se dissentiant, salvo fundamento, siue mutuam charitatem  
servent, quod omnes decet, siue violent, quod à Christianis a-  
lienum esse debet. Ad perfectionem Ecclesiæ pertinet omni-  
moda ista consensus; quare ipsa fides, propter ejusmodi dissen-  
siones, quæ in mediis & ultimi ordinis defensores cadūt, non est  
falsitatis arguenda, nisi omnis fides post Apostolos periisse sit di-  
cenda, cū omnibus seculis inter omnes & singulos orthodoxie  
defensores ὁλικὸν & absolutum etiam in iis, quæ fundamentum  
non attingunt, fuisse consensus, vix ostendi possit. Imò vix un-  
quam ante Christi advētum ad iudicium sperare licet. Obstat n,  
Satanæ furor, obstat hominum ignorantia, obstat φιλαυτία, ob-  
stat confidentia, obstant alia carnis peccata, quibus cum etiam  
sanctissimi, donec spirant, graviter luctantur & vix eluctantur.

XLIV.

Sanè nec fundamentalis, seu quæ solum fundamentum  
concernit, nec totalis, seu quæ reliqua omnia dogmata com-  
plectitur, inter ea περὶ ἑα cēseri potest, unde vera fides necessa-  
riò cognoscitur, ab aliis autem religionibus tutò discrimina-  
tur. Rationes sunt manifestæ. 1. Nusquam hinc fidem agno-  
scendam Spiritus Sanctus in scriptura proponit. Jam quæro,  
docueritne veram fidei veræ à falsa dignoscendæ rationem. 2  
Qui negat, primarii & maximè necessarii capitis neglecti, Spi-  
ritum S. arguit, quod cum manifesta impietate est conjun-  
ctum. Qui inter Pontificios affirmat, cum rogo unam pro-  
ducatur ex universo Prophetarum & Apostolorum codice sen-  
tentiam



3  
tentiam quã hæc consensus notarum infallibilium cœnsui info-  
ratur.

2. In errore consensus esse potest: Nonne consensus erat  
inter Baaliticos sacerdotes contra Micheam? 1. Reg. 22. Contra  
Eliam 1. Reg. 18. Consentiebãt Ephesii in errore contra Paulum  
Act. 19. 28. 29. quos hæretici imitati multoties in hæresi conspi-  
rant. Si de veritate inter Baalitas & Eliam, inter Ephesios &  
Paulum ex consensu defensorum fuisset judicandum, putabi-  
musne Baalitas & Ephesios fuisse succubituros? Minimè  
verò.

3. Inter ejusdem fidei secundum substantiam veræ socios  
dissensus esse potest. In Concilio Africano tempore Cypriani  
dissensio fuit de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis erant bapti-  
zati: Inter orientales & occidentales Ecclesias de paschate ce-  
lebrando. Ne dicam de controversiis Cyrilli & Theodoreti,  
Hieronymi & Ambrosii, Augustini & Hieronymi &c.

4. Consensus, de quo loquimur, valde est dubius: sive e-  
um interpretemur de omnibus & singulis omnium seculorum  
doctoribus, qui veritatem defendendam susceperunt, sive de  
omnibus & singulis, qui uno tempore Ecclesiæ Dei præsent.  
Si de omnium seculorum doctoribus interpretemur, quis e-  
um nobis in aprico collocabit? Paucissimi scripserunt: Eorum,  
qui scripserunt, omnes commentarios ad nos devenisse, quo  
argumento, quod conscientiam tranquillam reddat, probave-  
ris? De unius temporis doctoribus si agatur, quis omnium a-  
nimos perterritavit, quis exploravit in omnibus & singulis do-  
gmatibus singulorum plenarium consensum? prodeat qui ve-  
let, & fidem suam hoc argumento astruat!

5. Non desunt sanè qui hæc in re manum nobis por-  
rigunt, etiam ex Pontificiis: *Fatendum est*, inquit Grego-  
rius de Valentia analysis fidei libro octavo capite octavo.  
*raro accidere posse, ut quæ sit doctorum omnium uno tempo-*

F

re viven-



reviventium de religione sententia, satis cognoscatur. Sunt enim Catholici doctores in Ecclesia ubiq; diffusa plurimi, qui proinde omnes nec facile congregari, nec interrogari possunt, quid sentiant.

XLV.

Nota Jesuitæ octava est *gentilium conversio*. De qua ut rectè judicemus, notandum est, duplicem esse conversionem: Una est *specialis & salutaris* cum homo à Diabolo ad DEUM à morte ad salutem apprehendendam convertitur: Et hæc non mens solum illuminatur & ad assensum doctrinæ præbendum inclinatur, sed & cor ad fiduciam in promissione gratiæ ponendam commovetur. Altera est *communis*, quâ hominis animus in assensum cujusvis doctrinæ propositæ pertrahitur. De illa ut ex argumentis apparet, non agunt Papani, sed de ista.

XLVI.

Circa priorem conversionem rursus distinguenda est vis convertendi homines ab effectu. Vis enim illa veram fidem arguit, etsi effectus in tota provincia, cui verbum prædicatur, non appareat. Obstat enim sæpè quo minus effectus ipse consequatur, hominum perveracia & desperata incredulitas: quâ tamen doctrinæ virtus non eliditur, nec veritas periclitatur. Et illa convertendi vis est veræ doctrinæ propria; non tamen potest visibilibus notis, quibus veritas à falsitate discriminatur, accenseri; idque quia à multis traditur, à multis etiam vera doctrina suscipitur, qui tamen salutariter non convertuntur: Huc refero hypocritas ore Christum professos absque vera cordis fiducia, absque veteris hominis depositione, absque novi assumptione:

XLVII.

Posterior, de qua potissimum Papani intelligi volunt, neutriquam veræ fidei, indubitatum est criterium. Id quod luculentis scripturæ testimoniis, evidentissimis exemplis, denique validissimis rationibus confirmare est in facili.

Te-



1. Testimonia suggerunt Evangelistæ & Apostoli Joha. 5. vers. 43. Christus ait: Ego veni in nomine Patris mei, nec recipitis me: si venerit alius nomine suo, illum recipietis. Ecce sæpe efficaciorum falsitatis vocem, quàm veritatis! Quis Christo præclariùs veritatem docuit? Ipse est veritas Joh. 11. nihilominus alium efficacius in Judæorum animos influxurum esse disertè pronunciat. Paulus. 2. Theff. 2. 9. prædicat anti Christum venturum καὶ ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ. v. 11 scribit fore, ut anti Christo adhæsuris DEUS imittat ἐνέργειαν πλάνης εἰς τὸ πειθεῖσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει. 2. Timoth. 3. 13. de præstigiatoribus ait, προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον πλανῶντες καὶ πλανώμενοι. Petrus 2. ep. 2. multos è populis Pseudoprophetis adhæsurus esse vaticinatur. Hinc erroris efficaciam fascino Apostolus comparat. Galat. 3. 1. Amentes Galatæ; quis vos fascino vitæ, ne obsequeremini veritati? Quod verò furibus, quod anti Christo, quod Pseudoprophetis, quod præstigiatoribus convenit, quomodo veræ doctrinæ nota dici mereatur indubitata?

2. Exempla hujus rei tùm in scriptura, tùm in Ecclesiæ historiis sunt evidentiæ. E scriptura allegamus Prophetas, qui à Micheæ verbo Ahabum potenter retrahebant. 1. Reg. 22. Idque virtute Satanæ, cui DEUS dixerat, decipies & prævalebis. Allegamus Anti Christum; allegamus Galatas, quos Paulus hunc in modum alloquitur Gal. 3. 1. ò stulti Galatæ, quis vos fascino vitæ? ne veritati obsequeremini? Ex historia Ecclesiæ unum, Arrianismum nominamus, qui torrentis instar orientè pervasit; vide Sozomenum li. 6. cap. 37. Socratem lib. 4. ca. 27. Theodoretum libr. 4. cap. 37. Inter alios unus Ulphila Gothorum Episcopus totam gentem Gothicam à Catholica fide ad Arrianismum seduxisse dicitur. Sicut tempore ex efficacia convertendi de Ulphilæ fide fuisset argumentandum, nonne triumphasset Arrianus de Catholicis? Ne jã allegemus Muhammedismum, qui sub initium non armorum vi, sed Satanicâ quâdam doctrinæ efficaciam vires acquisivit eundo. F 2 Fi.



3. Fieri potest, ut vera doctrina homines in sui complexum non pertrahat, idque 1. vitio administri, qui negligentius officium facit; 2. vitio auditoris, qui planissimam veritatem respuit & suppressit. 3. Satanæ malitiâ, qui excoecat infidelium mentes. 2. Cor. 4. 4. 4. Justo DE I judicio, qui veritatis contemptum gravi excoecatione & induratione ulciscitur. 2. Thes. 2. 9. 10. 11. 12. Rursum fieri potest, ut falsa doctrina sui amore multos accendat & potenter fascinet, idq; partim quia ipsius administri solerter agunt, homines carnales carnalibus persuasionibus alliciunt, aut externo quodam religionis splendore demerant, partim quia errores facillè imbibuntur, & qui Sancto Spiritu carent, ii ad errores sunt propensiores, quàm ad veram religionem, falsa facilius quàm vera amplectuntur, ut faterur Stapletonus lib. 8. de princip. fidei doct. cap. 2. partim persuasione Satanæ, qui operatur in filiis contumaciæ, Eph. 2. 2. Denique DE I severo judicio, qui deceptionis efficaciam mittit ut credant mendacis, ut damnentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia. 2. Thes. 2. 11. 12. Bellarminus id DEUM permittere scribit, propter ingratitude eorum, qui semel sunt illuminati, & lumini accepto bonis operibus non respondēt lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 12. Unde liquidissimè constat, doctrinam aliquam falsitatis accusari non posse, eò quòd gentiles eam non amplectantur, nec necessariò eam veram, quam isti suscipiunt.

## XLIX.

Pontificii nobis opponunt. 1. laudes scripturæ de efficacia verbi divini. 2. mortua philosophorum verba, quibus ne vicinos quidem ad se pertrahere potuerunt. 3. hæreticos nunquam convertisse sive Ethnicos, sive Judæos ad fidem, sed tantum Catholicos pervertisse. Respondemus ad 1. Laudes de efficacia verbi DE I & lubentes recipimus, & ipsi gratâ mente canimus.



mus: Cum verò ista ad efficaciam quoquo modo persuadendi ab adversariis applicatur, committitur elenchus consequentis. Ad 2. Resp. 1. Mortua sanè & cadaveris instar sunt Philosophorum verba, si cum vivo DEI verbo in comparisonem veniant; interim multos dementârunt, cujus rei exemplum in Ephesiis est videre. Act. 19. 29. 28. 2. Non sequitur: Philosophorū verba sunt mortua, inefficacia: Ergò quæcunque doctrina multos ad se trahit, ea est vera: Et quæcunque non multis persuadetur, ea est falsa. Ad tert. R. 1. Sanè heretici neminem ad eoque nec gentiles, nec Judæos propriè loquendo convertunt, sed quos ad se pertrahunt, eos pervertunt. Interim quòd hæretici, eo quo Papani sensu loquuntur, tum gentiles, tum Judæos convertere, id est, in suam sententiam perducere possint, nemo facile negaverit: Nisi in mortis rationibus constet, nec ullum gentilem, nec quenquam Judæum ex sua idololatria & cæcitate in aliam hæresin transire posse. Si verò potentia ista convertendi hæreticis competit, quomodo veræ doctrinæ proprium criterium fuerit?

Nonò Jesuita veram fidem ex eo infallibiliter vult agnosci, quòd *sanctos homines semper efficiat*. Iam verò non negamus veram fidem esse sanctam & fidem sanctam esse veram, modò Sanctitatis regula sit sola scriptura sacra. Imò sanctitate veram doctrinam à Paganismo, Muhammedismo, Judaismo, & hæresibus discerni lubenter fatemur: Res ipsa enim docet, falsitatis comitem esse impuritatem, ut pleræque sectæ legibus & dogmatibus etiam cum externa honestate pugnantibus, impietatem suam traducant & infamem reddant. Sed nec negamus veram fidem, hominibus commendari sanctitatis studium: Ut enim in se sancta est & pura, ita exhortatur omnes ad pietatem, ab impuritate verò vitæ dehortatur quàm diligentissimè. Proinde falsa est doctrina, cujus vi & dictamine peccata &

3  
1.  
24  
2  
3  
2  
38  
39  
42  
50  
48  
49  
44  
48  
47  
46



scelera committuntur: Insuper in convertendis gentilibus & aliis à veritate extorribus, tum docentium, tum discantium, sanctimoniam multum posse agnoscimus. Id enim Christus Apostoliselegatissimâ falis & lucis similitudine insinuat. Matt. 5. 13. 14. 15. 16. Id Paulus Romanis inculcat Rom. 2. 17. 18. 19. &c. Id Tito proponit c. 2. id denique Petrus ad fœmininum sexum extendit. 1. epist. 3. 1. 2.

LI.

Interim eorum sanctitatem, qui fidem sive docent, sive profitentur, pro infallibili veritatis nota suscipere nec possumus, nec debemus. Cujus sententiæ argumēta sunt non pauca.

1. Scriptura nusquam doctrinæ veritatem ex docentium & discantium sanctitate probat, nec hinc ab errore discernendam proponit.

2. Nec sanctissimis quibusvis fidem adhibere docet, quòd sanctitate polleant, sed quòd verbo DEI consentanea docuerint. Hinc Apostolis & Prophetis non credimus quia sancti fuerunt homines, sed quia DEI verbum attulerunt. Et Paulus Gal. 1. disertè tradit, ne angelis quidem, qui naturâ sunt sanctissimi, credendum esse, si aliud à revelato verbo Evangelium prædicent.

3. Sanctitas non est conspicua: Multi enim formam pietatis habēt, cum vim ejus abnegārint, 2. Tim. 3. 5. multi sunt hypocritæ, qui bonis operibus nos possunt fallere, cum ipse Satanas in Angelum lucis se transformet, 2. Corinth. 11. 14. Vera autem sanctitas electorum est propria, sicut & salvifica fides; cum quâ ista inseparabiliter est conjuncta. Hypocritas autem à verè sanctis, speciem à veritate pietatis, electos à reprobis discernere solitus est DEI, non hominis. Proinde ex vitæ sanctimonia fidei veritas inter homines infallibiliter agnosci non potest.

LII.

4. Non est perpetua sanctæ vitæ cum veritate conjunctio.  
Etc.



Etenim hæretici nonnunquam magnam præ se ferunt vitæ  
sanctimoniam, nec tot scandalis, atq; ipsi veritatis discipuli, bo-  
nos offendunt. Exempla si requiras, ecce tibi Donatistas, qui  
tantam sanctitatem profitebantur, ut Ecclesiam esse negarent,  
ubi boni malorum communione commaculatur. Ecce Catha-  
ros, de quibus vide Tholosanum libr. 13. de Republ. cap. 1. Ecce  
Anabaptistas, de quibus consule Jesuitam Costerum (ut ex i-  
psis Pontificiis argumenta depromamus) apolog. part. 3. cap. 8.  
Quis verò ignorat inter eos, qui veritatem Evangelii tuentur,  
sæpè ingentia vitia grassari? Et quidem tam inter doctores, quã  
auditores. Inde Christus Matth. 23. 2. *Omnia ergò quæ dixerint*  
*vobis, ut servetis, servate & facite, sed secundum opera eorum*  
*ne facite. Dicunt enim & non faciunt.* Hinc est quòd Apосто-  
lus tam studiosè à vitæ impuritate suos dehortatur, propter  
quam Evangelium ab iis, qui foris sunt, blasphematur. Et o-  
mnium seculorum historiæ testantur, DEUM morum corru-  
ptionem in iis quoq; gravissimè ultum esse, qui veritatem sunt  
professi. Imprimis memorabile est, quòd Diocletiani perse-  
cutionem à fratribus, qui in militia erant, exordia sumpsisse,  
Eusebius testatur, cùm scribit, quòd Christiani se mutuo odio  
ac contumeliis persecuti armis ac telis verborum ubicunque  
contigit, impugnarint, imprimis Episcopi in Episcopos irruer-  
int, ac populi contra populos seditiones moverint, denique  
infanda hypocrisis & simulatio ad summum usque malitiæ  
progressa fuerit lib. 8 hist. Eccles. cap. 1.

LIII.

5. Idem hypothesis Pontificiorum arguit. Concedunt  
enim sanctissimos in fide nonnunquam hallucinari, cæcutire,  
labi. Hinc Melchior Canus libr. 7. loc. theol. cap. 3. n. 4. inquit:  
*Sanctus fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizan-*  
*dos: Sanctus fuit, qui in Christi corpore sensum pæne & dolorum*  
*fuisse negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliastrarum dogma descen-*  
*dit.*



dit. Si verò cum vitæ sanctitate gravis error consistit, quomodo ista fuerit veritatis indubitata nota?

6. Denique idem vis veritatis Pontificiis nonnunquam extorquet. Ipse enim Bellarminus lib. 5. de lib. arb. c. 10. *Certum est, inquit, ex operibus ipsorum hominum, qui nos docent, Non posse cognosci doctrinam, cum opera interna non videamus, externa autem sunt communia utrisque, & propterea comparantur vestimentis ovium; quibus lupi quoque se regunt. Itaque Dominus, quia sciebat non posse doctrinam discerni ex operibus, cum sæpè mali bona doceant, sic monuit, Quæ dicunt facite, secundum autem opera illorum nolite facere.*

LIV.

Decimam notam Jesuita facit miracula; huic verò non est ut immoremur. Satis enim suprà ea de re dictum est Thefi 7. usq; ad 16.

LV.

Undecima est, quòd *vera religio in verbum DEI manus non injiciat; duodecima quòd vertiginosas & arbitrarias scripturæ interpretationes avertetur.* His non repugnamus, sed utràque manu amplectimur? pertinent enim ad unicam illam, quam nos agnoscimus notam. Cautione a. opusest, ne ex Papæ judicio pendeat, quænam vertiginosa & arbitraria sit interpretatio; ne ulli in terris homini summum judicium deferatur, sed soli sacræ scripturæ, tanquam vertiginosarum glossarum indici reservetur.

LVI.

Decima tertia Jesuitæ nota est, *omnibus hæresibus ostium claudere.* Id verò accipi potest diversis modis. Primò de præconio, deinde de externa coercitione. In præconio rursus distinguendum est id quod fit per se, ab eo quod fit per accidens. Sicut enim doctrina dicitur hæresibus aperire ostium per se, vel per accidens; per se, cum in se & ex se talis est, ut hæres in fundamenta complectatur. Per accidens, cum non rectè intelligitur

ligitur



igitur, ineptè defenditur, per ἀκυρολογίαις profituitur: Ita è con-  
trario doctrina ostium hæresibus non claudit vel per se, vel ex  
accidenti. Sic ergò statuendum erit:

1. Omnis vera doctrina per se claudit hæresibus ostium,  
id est, fundamenta hæresi non jactat, sed confellit: Ergò quæ-  
cunque doctrina per se non claudit, sed aperit hæresibus osti-  
um, ea est falsa.

2. Fieri a. potest, ut à vera religione malè intellecta ἀκρίτως  
& negligenter proposita, ineptè defensa, non ipsius defectu,  
sed hominum circa eam occupatorum vitio non tantum non  
claudatur hæresibus ostium, sed & aperiat. Sic constat Pa-  
trum ἀκυρολογίαις non nunquam hæreticis prava dogmata cudē-  
di occasionem dedisse: Id quod ipsi doctrinæ imputari non  
debet.

3. Cùm verò nec quænam doctrina sit hæretica, nec quæ-  
nam hæresi ostium claudat, extra scripturam infallibiliter con-  
sistat; ad eam tanquam unicam anchoram confugiendum erit:  
Et ita non repugnamus, quin ea pro vera doctrina suscipiatur,  
quæ ex scriptura ostium hæresibus claudit.

LVII.

Cæterum externa hæresum coërcitio ne sive ullæ exori-  
antur, sive ex ortæ longè late quæ disseminentur, quin potius ut  
exortæ in herba, quod dicitur, opprimantur, aut etiam dissemi-  
natæ extirpentur, id verò non est veræ fidei infallibilis nota.  
Paulus enim ait: Corinth. II. 19 oportet inter vos esse hæreses,  
ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos. Et in sanctissimis  
veritatis cultorum cœtibus hæreses enatas esse non solum san-  
ctorum testantur querelæ, sed & omnium temporum histo-  
ria comprobatur.

LVIII.

Circa decimam quartam Jesuitæ notam, quam in eo po-  
nit, quòd vera doctrina à blasphemis dogmatibus absterneat, fa-  
cile

G

cile



esse nos expeditus. Veram enim doctrinam à blasphemiiis  
abstinere, apud nos certum est & in confesso. Nec obscurum  
est, falsam fidem plerunq; horrendis blasphemiiis contamina-  
ri. Cùm verò inter blasphemiam & simplicem falsitatem dis-  
crimē constitui consueverit, quomodo abstinere à blasphemii-  
is erit veræ fidei indubitata nota? v.g. Cùm pleriq; Patres iusto-  
rum animas ante iudicii diem visione Dei frui negârunt, falsi-  
tatis arguuntur ab ipsis etiam Pontificiis, blasphemiam autem  
damnatos esse, nusquam legimus. Cypriani de rebaptizandis  
iis, qui ab hereticis baptizati erant, errorē nobiscum repudiant  
Pontificii: blasphemiam tamen eum non condemnant. Non i-  
gitur satis est ad veritatem fidei, abstinere ab horrēdis blasphe-  
miis, sed ab omni dogmate, quod cum fidei analogia & sacro  
codice pugnat. Deinde quæritur, unde confiet de dogmatibus  
blasphemis? Sanè non nisi ex scriptura. Nihil igitur Jesuita suâ  
notâ obtinet, nisi ad scripturam recurrat, & inde, utrum do-  
gma sit blasphemum, exploret. Quâ ratione nostra stabilitur  
sententia.

LIX.

Quida. de decima quinta & ultima Mulhusini nota dice-  
mus? Hinc n. veram fidem à falsa discerni asserit, si ejus doctores  
*primi, medi, ultimi in dogmatibus persuadendis nullis mendacijs  
indigent, & ab illis abstinent.* R. 1. De primis auctoribus res extra  
dubitationis aleam est posita: Primus enim veritatis auctor est  
Deus: Primi ipsius in ea propaganda ministri Prophetæ & A-  
postoli. Quos non solum non indiguisse, sed & ab omni absti-  
nuisse mendacio, communis est Christianorum fides. Quæcū-  
que igitur fides hos auctores habet, ea certissimè est vera & sa-  
lutaris.

2. Circa medios & ultimos mendaciorum indigentia ab  
usu est discernenda. Non egent sanè veritatis patroni ullis stro-  
phis, ullis mendacijs: & his qui egent, eos erroribus patrocinati

ccf-



certum est. Veritas siquidem sibi sola sufficit. Unde verò de hac indigentia statuemus? Num ex usu? At illud periculosum fuerit. Id enim à doctore committi potest, quo ipsa doctrina ad sui defensionem & propagationem non indiget. Priusquã igitur de indigentia mendaciorum ad persuadendum doctrinam aliis constare possit, de ipsius doctrinæ qualitate necessum est ut constet. De ea aliunde iudicium est faciendum: nempe ex scriptura.

L X.

3. De eo verò quòd aliquis actu à mendaciis abstinet sic se res habet. Quicumque ab omni mendacio in persuadenda doctrina, quòd sive ipsam doctrinam, sive personas, quibus cum ipsi res est, sive alias circumstantias concernat, abstinet, ille veritatem docet: Unde verò de eo constabit? Quantum ad personas & circumstantias attinet, extra scripturam fortè causa decidi possit. Et si verò constet aliquem nec in circumstantiis, nec circa personas, quas oppugnat, mentiri, non tamen ideò doctrina est necessariò vera: proinde testimonium aliunde est petendum. Si porro de abstentione (ut ita loquar) à mendacio circa ipsam doctrinam agas, jam redit quæstio, unde constet eum, qui de veritate gloriatur, ab omni mendacio abstinere? Si extra scripturas quicquam quæsieris, procul dubiò errabis.

4. Deniq; fieri potest, ut medii & ultimi doctores in persuadenda veritate in diversum affectibus abrepti, malæ causæ patronis aliena quoq; affingant, aut in aliis circumstantiis fucù faciant. Quòd ut probari non potest, repugnat enim legi, ac veritatem hostium ludibrio & blasphemix exponit; ita nec veritati, quam isti propagant, præjudicare debet. Hoc notatu est necessarium propter adversariorum malitiam, qui doctorum vitia ipsi doctrinæ impingere non erubescunt. Ratio autem sententiæ in scriptura manifestè est fundata. Mendacia enim quibus veritatis doctores suos adversarios impetunt, aut extra  
G 2 ipsam



ipsam doctrinæ substantiam se contaminant, malis moribus & vitæ maculis sunt adscribenda: Cùm verò vitæ depravatio, secundum scripturas, doctrinam falsitatis non arguat, nec iste, de quo jam agimus, defectus in fidei præjudicium jure cedit. De mendaciis, quæ doctrinam ipsam tangunt, alia res est, ut jam dictum est. Summa: Ostendant Jesuitæ ex scriptura, quòd mediorum & ultimorum doctorum, à quorum auctoritate fides non pendet, mendacium circa personam adversariorum aut alias circumstantias sit indubitatum falsæ fidei indicium. Probantibus cedemus.


LXI.

Haftenus tùm de infallibili veræ fidei criterio, tum de notis ab adversaria gente jactatis diximus. Quod superest, ad te, ò æterne Deus, convertimur & rogamus supplices, ut nos confirmes in veritate, in cujus agnitionem tua manu provecti sumus: Detegas magis magisque adversariorum fraudes & fucos, ne iis dementati à sacratissimo verbi tui canone oculos avertamus, neque ullis errorum laqueis irretiamur, sed indes in agnita veritate proficiamus. Ac cùm non satis sit vera nosse, nisi bene vivamus, regas quæso corda nostra, ne pravis cupiditatibus à pietatis semita in diversum abripiamur, cohibe & retrahere effectus ab omni impuritate, in quam natura proni ferimur: Spiritu humilitatis, patientiæ, fortitudinis, castimoniæ, mansuetudinis nos induce, ut bonam militemus militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, tandem verò coronam justitiæ in regno tuo adipiscamur. Id faxis ò clementissime Pater, id faxis ò fili DEI & Mariæ, servator mundi; id faxis ò Spiritus Sancte!


*Tibi sit gloria & honor in æternum*

*Amen.*

































5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicunq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tfectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

ut non adeò sit apud Dd. Metaph. controver-  
sa brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lidedò non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
ca constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
ca esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor